A Henricus IV. Francorum Rex invictus, in ipſa inaugurationis pompa, ab impio ſicario fuit trucidatus, cultro in ventrem impacto. Illius rei fama percrebuerat multis diebus priuſquam accidiſſet, ita ut jam in periſtilio Antuerpienſi & Amſterdamenſi paſſim referretur ita eveniſſe, cum tamen multos dumtaxat poſt dies evenerit. Quin addunt, eidem Regi pridie fuiſſe prædictum, ne die poſtero palatio egrederetur, ni præſens vitæ diſcrimen vellet incurrere. Veram fuiſſe prædictionem, luctuoſus & inexſpectatus eventus docuit.

Addatur & hoc ad prædictiones reliquas, quod *Gal. lib. 3. de dieb. decret.* ſcribit, & *Hermes Triſmegiſtus in Iatromathematico*, hoc eſt in ſua Medicinæ cum Mathematica conjunctione, affirmat: Illud, inquit, denuò repetendum eſt, quod nos obſervantes veriſſimum eſſe comperimus, ab Ægyptiis Aſtronomis inventum, Lunam non modò ægris, ſed etiam ſanis dies tandem, quales futuri ſint, poſſe prænunciare. Si enim ad Planetas temperatos ſteterit, quos ſalutares Latini nominant, fauſtos ac bonos producere: ſi ad intemperatos, graves moleſtoſque. Fingamus, homine quo-
B dam naſcente ſalutares planetas in Ariete, malignos in Tauro eſſe. Is homo nimirùm, cum Luna in Ariete, Cancro, Libra & Capricorno fuerit, pulchrè deget. Cùm verò Taurus ipſum vel tetragonum aliquod, vel diametrum ſignum occupat, malè tunc & moleſtè vitam tranſiget. Atque jam morborum initia huic, cum Luna in Tauro, Leone, Scorpione, & Aquario fuerit, peſſima: ſine periculo autem & ſalubria ſunt, cum Arietem, Cancrum, Libram, Capricornum, Luna permeat. Hoc verum eſſe, non ſolùm medici hujus ſeculi prorsùs affirmant, ſed & quotidiana experientia teſtatur, ipſique ægroti ſenſibiliter percipiunt: quemadmodum etiam hoc verum eſſe expertus fuit Henric. Ranzov. qui ita de ſeipſo ſcribit: Cùm in juventute mea valdè ex Aſthmate laboraverim (quo jam divina favente clementia liberatus ſum) ex conjunctione Lunæ cum Saturno aut Marte, & futuro ſigno aſcendente, ab ipſius tempore nativitatis meæ læſo, mihi ipſi prædicere potui, qua die & hora eſſem laboraturus: Ita ille.

Cæterùm prædictiones omnes eventuum futurorum, qui à libera hominis electione, aut Dei diſpoſitione dependent,
C aliunde quàm ab aſtris peti oportere, jam ſuprà demonſtravimus.

EFFECTUS VARII EX CONJVNCTIONE PLANETARUM, EORUMQUE COMMIXTIONE.

Ultimo loco hoc quoque cenſui addendum, quod hiſtoriæ omnium temporum teſtantur: Commixtiones ſuperiorum Planetarum, motus, bella & diverſi generis morbos excitare, & quòd prædictiones tales, quæ fiunt ex conjunctionibus, ſunt ſigna veriſimilia, monentia homines de futuris calamitatibus & mutationibus.

In Scorpione cojerunt Planetæ ſuperiores, cum inter Pompejum & Cæſarem civilia bella toto terrarum orbe exarſerunt, variæque converſiones regnorum, ac Rerumpub. & Imperiorum contigerunt.

Rurſus iidem Planetæ in Sagittario cojerunt, anni Chriſti 73. cum Otho, Galba, Vitellius & Veſpaſianus Imperium Romanorum perturbarunt, & Hieroſolyma & Palæſtina unà cum Judæis in ſervitutem pervenerunt.

Similiter conjunctionem factam in ſydere Capricorni, anno Domini 312. ſecuta eſt trium Imperatorum & legio-
D num Romanarum maxima ſtrages: cùm Imperator Conſtantinus vi & armis urbem invaſit, totiuſque imperii Romani leges & Rempub. momento evertit.

Anno Chriſti 430. Planetis in Aquario conglobatis, Gothi in Europam à Septentrione irruerunt, & Romanum Imperium oppreſſerunt.

Planetarum coitio in Scorpione contigit, anno Dñi 630. Quo Arabes ex Aſiæ deſertis erumpentes, univerſum ferè terrarum orbem armis domuerunt, novas leges tulerunt, religiones confuderunt, ac imperium Perſarum deleverunt. Poſtremò linguam Græcam, Latinam & Perſicam in Aſia & Africa ſuſtulerunt.

Anno Domini 1343. Synodus fuit Planetarum in Aquario: Germania terræ motu, Apulia bello concuſſa, & ſacra lues ab ortu verſus occaſum ſerpere cœpit.

Conjunctio magna accidit in piſcibus, anno Chriſti 1464. quo tempore tyranides ac bella civilia totam Europam invaſerunt. Eduardus III. Henricum Angliæ Regem necavit: Fridericus Imperator à ſuis Viennæ obſeſſus: Ludovicus XI. Gallorum Rex principum conjuratione ferè oppreſſus: Florentiæ maximæ ſeditiones fuerunt: Scander- E
begius Albaniæ Dux à Turcis defecit.

Planetarum in Aquario conjunctio incurrit in annum Domini 1483. cum repentè Italia, quæ diuturna pace conquieverat, tum ſuis, tum Germanorum, Gallorum & Hiſpanorum armis eſt oppreſſa: & etiam hoc tempore inaudita lues (ut ſupra dixi) totam Europam infeſtavit.

Magna coitio facta eſt in Piſcibus Anno 1524. quo tempore Gallia & Dania bellis civilibus, Germania verò tota nobilium & plebejorum inter ſe concurrentibus armis fœdiſſimè laniata.

Rex Galliæ Franciſcus Papiæ captus eſt à ducibus Caroli V. & ab his Roma ſuperata: & Pontifex Clem. VII. in ipſorum manus pervenit, redemptus 40000. ducatis & 25. Epiſcopatibus maximi proventus regno Neapolitano incorporatis. Rex Chriſtiernus II. ejectus Dania. Hafnia urbs obſeſſa & capta eſt. Fridericus I. in patruelis locum coronatus & rex factus. Rhodus à Turcis expugnata eſt.

Anno Dñi 1583. habuimus conjunctiones planetarum ſexdecim, omnes in Piſcibus, inter quas fuit etiam Saturni & Jovis. Anno 84. 14. conjunctiones in Ariete & Eclipſin F
Solis & Lunæ in Tauro. Anno Dñi 86. conjunctiones etiam in Ariete tredecim, & unam in Tauro Solis & Mercurii. Deinde Anno Dñi 88. conjunctiones 12. in diverſis ſignis. Has abſque dubio ſequentur nefaria conſilia, ac fata, motus, ſeditiones, bella, cædes in civitatibus, regnis ac provinciis, inaudita genera morborum, peſtis, obitus magnorum regum ac dominorum, infinitæ diſſenſiones, ac novæ diverſitates opinionum in religione, ac denique ingentes calamitates in toto orbe terrarum, ut multi rerum cœleſtium periti opinantur, colligentes hæc ex eventibus, quæ ſecuta ſunt præterlapſas conjunctiones, quas recenſuimus. Vetuſtas enim longinqua incredibilem ſcientiam multa obſervatione, ut refert Cicero, adducit.

Denique ex *Majoli tom. 1. Dier. Canicularium, colloq. de meteoris*, adſcribendum duximus cujuſdam Aſtrologi de variis eventibus pronuntiatum, quos prima die Januarii prædicebat futuros, dummodò certæ Planetarum & meteororum apparitiones, aut conjunctiones illo die fierent. Ita verò eoſdem carmine idem auctor complectitur:

Rorida ſi nubes confixerit Iridis arcum, G
Pacatum mundo fœdere numen erit.
Si micet à cœlo lampas; fax, lancea, trabſque,
Ferveſcit longo tempore terra nimis.
Si rugiat tonitru, tranſcendent flumina ripis,
Et nautæ infauſtum fluctibus æquor erit.
Inſonet horrificum ſive intremat inclyta tellus,
Exul erit pietas, exul & ipſa fides.
Irruat averſo ſi temporis ordine grando,
In populos Regum ſumma tyrannis erit.
Jupiter ignitum ſi mittat ab æthere fulgur,
Edocet inviſum Regibus interitum.
Si ridet Phœbus, ridet quoque frugibus æſtas,
Si nymbi exundent, defleat Agricola.
Si minùs irradient ob nubes lumina ſolis,
Tempora nil fauſtum, nil quoque triſte dabunt.
Sin ſeſe radiis Phœbi commiſcet Orion,
Luxuriem frugum defleat emptor inops.
Si glacies gelidas condenſet ſaxea lymphas,
Parturiet ſobolem fœmina quæque marem.
Intumeant armis populi, ſi ſtrideat Auſter, H
Si nebulæ, inceſſet (flebile) dira lues.
Si pluviæ nothique diem, caligoque volutant,
Parta dabit tellus fœnora, bella, luem.

Aſtutia.

* DEFINITIO & ETYMOLOGIA.

ASTutia generatim, eſt ratio aliquid agendi modo occulto: Dicuntur enim aſtuti in contractibus & negotiis qui norunt modos agendi non paſſim obvios, quibus vel alios decipiunt, vel cavent, ne decipiantur. Videtur ab *Ariſtotele* vocari δεινότης, (ſolertiam quidam interpretantur) quam ipſe etiam in malis ponit, ut patet *lib. 1. magnorum Moralium cap. ult.* ubi dicit, omnem prudentem eſſe δεινόν, i. e. aſtutum vel ſolertem, ſed non contra: quin malus etiam, δεινὸς ſolers eſt. Sicut Mentor, qui videbatur quidem δεινὸς ſolers, non tamen erat prudens. Itaque aſtutia generatim accepta, eſt quid communius, quàm prudentia.

Cæte-

A Cæterùm accipitur communiter Aſtutia magis ſpeciatim pro notitia pravorum mediorum ad fallendum idoneorum, cùm affectu exequendi conjuncta. Hocque modo accipit *D. Auguſt. lib. 4. contra Iulianum c. 3.* cum ait, omnibus virtutibus quædam vitia eſſe ſimilia; ſicut aſtutia prudentiæ ſimilis eſt, quæ tamen eſt vitium. Et *Apoſtol. 2. ad Corinth. 4.* Non ambulans in aſtutia, Græcè ἐν πανουργίᾳ, quo nomine propriè ſignificatur vitioſa aſtutia, quia aſtuti omnia tentant, in omnem partem ſe vertunt, ut rem perficiant. Continet artem ſimulandi & diſſimulandi. Habetque locum in iis functionibus, quæ proximum reſpiciunt. Nemo enim ſibi ipſi aliquid occultat, vel in modo agendi ſibi aliquid occultum optat: ſed tantùm proximo.

Videtur hæc aſtutia ſpecies quædam prudentiæ carnis. Hi enim maximè videntur prudentes ſecundum carnem, qui modos norunt occultos obtinendi temporalia, fallendo alios.

Dolus eſt aſtutiæ executio, ſive verbis, ſive factis: eſt enim hoc nomen generale. Tantùm habet locum erga proximum, & potiſſimùm in materia juſtitiæ, ut contractibus & diſtri-
B butionibus.

Fraus eſt executio Aſtutiæ per facta, ut cum menſura eſt minor juſto: cum moneta eſt adulterina. Unde eſt quid contractius, & minùs commune quàm dolus. Itaque dolus & fraus ſe habent ad aſtutiam, ſicut pactiones, & actiones juſtæ ad prudentiam. Sicut enim hæc diriguntur judicio & regulis prudentiæ: ita illa judicio, & regulis aſtutiæ.

ASTUTIA. CALLIDITAS. DOLUS.
Item
ASTUTIA PRUDENS ET SOLERS.
Sive DOLUS BONUS.
* *Vtriuſque conſiderationes, &* EXEMPLA: *cum* SACRA, *tum* PROFANA.

Aſtutiam utraque acceptione conſideramus, ſive ut importat Dolum abſque Juſtitia, quem Latini Fraudem & Calliditatem appellant, quemque C. Aquilius, rogante Cicerone, definivit, Cum aliud actum eſt, aliud ſimulatum: ſive ut uſurpatur pro Dolo bono, qui ἀγαθὸς δόλος dicitur: à quo Ulyſſem extollit Homerus. Nec referre dicit in bellica actione, ἢ δόλῳ ἢ βίηφι, armis, an ſtratagematis hoſtes vin-
C cantur. Et ſunt Interpretes ſacri, qui talem dolum volunt inſinuari, *Lucæ 16.* ubi Chriſtus laudat villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet: & filios hujus ſeculi prudentiores in generatione ſua filiis lucis pronuntiat. Alioquin D. Thomas nonniſi abuſivè exiſtimat dolum nominari bonum, 2. 2. *q. 55. art. 4. ad* 1. Nos utriuſque exempla dabimus.

* DOLI SIVE ASTUTIÆ PRUDENTIS EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Prudenter & aſtutè, juſtè tamen, Jacob mercedem quam ei Laban debebat, quamque decem vicibus, & iniqua pactione commutarat, obtinuit. Quando objectis virgis populeis & amygdalinis ex parte decorticatis, poſitiſque in canalibus, è quibus greges bibebant, effecit, ut illæ parerent maculoſa & varia, & diverſo colore reſperſa, quæ omnia ex pacto cum Laban inito accipiebat. Ditatuſque eſt vehementer, & habuit greges multos. *Geneſ. c. 30.*

Joſeph, dum fratres ad eum in Ægyptum veniſſent accepturi frumenta, eoſque hilariter excepiſſet, antequam ſci-
D rent, illum eſſe fratrem ſuum quem vendiderant, ut aliqua ratione pertentaret animos eorum, quo pacto erga Benjamin fratrem ſuum uterinum ſe gererent, ut ſi invidiam aliquam perſentiſceret, qualem erga ſe aliquando oſtenderant, ex eo, quòd in convivio reliquis quintuplo majorem partem accepiſſet; præcepit, ſcyphum ſuum argenteum poni in ore ſacci illius, & digreſſos perſequi ac reduci, & duriùs haberi ob ſcyphum, quem illos furatos objiciebat. Qui ignari ejus quod acciderat, dicebant: Apud quemcunque fuerit inventum ſervorum tuorum, quod quæris, moriatur, & nos erimus ſervi domini noſtri. *Geneſ. 42.*

Joſue ſimulando fugam ante urbem Haji, poſitiſque poſt civitatem inſidiis, eam expugnavit, & ſuccendit, viroſque illius percuſſit. *Ioſue cap. 8.*

Gabaonitæ audientes quæ fecerat Joſue civitati Haji, & aliis finitimis, callidè cogitantes tulerunt ſibi cibaria, ſaccos veteres aſinis imponentes, & utres binarios ſiccos, atque conſutos, calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetuſtatis pitaciis erant conſuta: induti veteribus veſtimentis, & ita tanquam è longinquo venientes, pacem cum eodem & fœdus inierunt, iiſque pollicitus eſt Joſue, quòd non occiderentur. *Ioſue 9.*

De inſigni aſtutia, qua Gedeon Madianitas circumvenit, E
☞ *Videatur tit. de ſtratagematibus bellicis.*

Philiſtæi quoque magna calliditate caverant, ne eſſet faber ferrarius in omni terra Iſrael, ita ut cum dies prælii veniſſet, non inveniretur enſis, vel lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule & Jonatha. *1. Regum cap. 13. verſ. 19.*

Egregia aſtutia erat, quam Joab adhibebat, mittendo mulierem ſapientem habitu triſti ad Davidem, & viduitatem diſſimulantem, ut ita ei reconciliaret filium ſuum Abſalonem, à quo cor ejus averſum erat. Qua audita, David dicebat: Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & revoca puerum Abſalon. *2. Regum c. 14.*

Prudenter & callidè Salomon detexit, quænam mater foret prolis, pro qua litigabant duę mulieres meretrices; dum petito gladio, infantem vivum dividi imperat in duas partes, & dari dimidiam uni, & dimidiam alteri. Eo namque audito, mulier, cujus filius erat vivus, poſtulabat eum dari alteri. Unde Rex judicavit eam eſſe matrem, ac infantem eidem tradi imperavit. *3. Regum c. 3.*

Jeroboam Rex Iſrael. ☞ *Vide Stratagemata bellica.* F

Jehu quoque in Regem à Deo unctus, ſingulari prudentia omnes ſacerdotes Baal in templum evocatos, ad unum trucidavit. *4. Regum c. 10.*

Sanctus Paulus ad Corinthios ſcribens, ait: Cùm eſſem aſtutus, dolo vos cepi. Verùm hic locus varias patitur interpretationes. Senſus enim juxta communem ſententiam eſt: Artificioſa ſolertia, & cauta prudentia, ego vos à gentiliſmo ad Chriſtianiſmum converti. *2. ad Corinth. cap. 12. verſu 16.*

☞ *Vide pleraque infra, inter exempla S. Scripturæ.*

Aſtutiæ calidæ.
* EXEMPLA HISTORICA.

Euſebius Vercellenſium Antiſtes, cum Arianos à Dionyſio Albanenſi Epiſcopo præſcriptionem ſui dogmatis per fraudem extorſiſſe accepiſſet; ille etenim artem arte deluſit, populumque fraudulentum prudenti aſtutia compenſavit. Finxit autem ſe quoque ejuſdem opinionis cum Dionyſio, hinc Arianis ſubſcriptionem indicem accipit, ut & ipſe illi ſua ſignatura adſtipuletur. Verùm ut vidit Dionyſii nomen inter primos, quaſi ad rem novam ſtomachatus, G
Vos, ait, Patrem in divinis Filio majorem dicitis, & cur juvenis ille, meus quandoque diſcipulus, hìc me præcedet? non id decet: aliam itaque ſchedulam conficite, in qua ſuo ordine quiſque ſubſignet. Dixerat: cùm Ariani hæc bona fide & ad mentem eorum ita dici autumantes, chartam lacerant, & aliam ad *Euſebium* deferunt à novo ſignandam. Quibus ille ſubridens: Nec ego, inquit, nec filius meus Dionyſius, veſtris impietatibus ſubſcribemus. Ex quo facto ita concludit *Ambroſius*: Cum dicat Euangelium in hac generatione prudentiores filios tenebrarum filiis lucis, ecce hìc ipſis tenebris prudentior filius lucis inventus eſt. *Ambroſ. Serm. 69. L. Beyerlinck in Apophthegm. Chriſtian.*

Accuſatus Athanaſius, quòd mulierem conſtupraſſet, vocatur cum illa ad concilium Epiſcoporum. Cumque ab Arianis ſubornata, impudenter Athanaſio concubitum objiceret, Timotheus presbyter Alexandrinus (ita enim cum Athanaſio convenerat) mulierem affatus, Egon', inquit, te compreſſi mulier? cui illa, Tu ipſe: nunquid tali loco & tempore: ita exploſa meretrice, & accuſatio ridicula apparuit, & Athanaſii innocentia comprobata eſt. Quam H
ſcitè *Comicus*:

Fallacia alia aliam trudit,
Aſtutum fallere difficile eſt.

Sozomen. lib. 2. cap. 24. Beyerlinck ſuprà.

Celebre etiam illud, quod ſequitur. Conſtantinus *Imperator*, ſub imperii ſui exordium, periculum facturus, quinam è domeſticis orthodoxam fidem amplecterentur, qui verò ab eadem deſciſcerent, convocatis omnibus, Qui, inquit, diis ſacrificare voluerint, ſummo apud me honore manſuri ſunt; qui verò id recuſaverint, illicò aula mea abſcedant. Quibuſdam itaque Catholicorum aulam exeuntibus, aliis verò diis thura ponentibus, hos à ſe rejecit, illos velut domeſticos ſuos ſummo honore eſt proſecutus. Et quis hìc rurſus in Ambroſii ſententiam, quam ſuperiori exemplo recenſuimus, non deſcendat? *Euſeb. lib. 1. cap. 11.*

Paphnutius Epiſcopus videns Maximum Epiſcopum Jeroſolymitanum inter Arianos in Concilio Tyri ſedentem, qui adverſus Athanaſium conſpiraverat; ſurgens de medio,

manu

A manu eum apprehenſum è ſubſellio detraxit, dicens: Nolo Maxime, ut qui eadem mecum Domini ſtigmata fers (nam & uno oculo orbatus, & nervi ſuccifionem fuerat paſſus pro fide, quemadmodum Paphnutius) cùm impiis ſedeas, & impietatis eorum contra S. Athanaſium particeps reddaris. *Sozom. lib. 2. c. 24. Stapleton. in Promp. morali P. Æſtivali Dom. 8. poſt Pentecoſt. Text. 2.*

De Cabade Perſarum Rege meminit *Paulus Diaconus*, quòd cum Manichei filio Platuerſę perſuaſiſſent, ſe illi à patre jam ſene regnum obtenturos, ſi modò eorum ſectam amplecti voluiſſet, omnes Manichæos cum Epiſcopo ſuo Indagata, & uxores & liberos ipſorum convocarit, fingens ſe illis filium Regem daturum. Laudatis igitur in pleno conventu Manichæis, monet, ut ſeorſim omnes ad illum acceptandum cònſiſtant. Quibus præ hilaritate & gaudio, dicto parentibus, immiſſis militibus univerſos trucidavit, eorumque libros poſtea combuſſit, atque hoc ſtratagemate Baal illud Manichæum tota Perſide deletum fuit, *lib. 15. hiſtoriar. Et Stapleton. ſuprà.*

Parem prudentiam ſolertia immixtam apud Conſtan- B tium Imp. Arrianum, uſum Athanaſium, teſtis eſt *Theodoretus lib. 2. c. 12.*

Ad preces namque, vel minas etiam Conſtantis fratris, qui in occidente Catholicis imperabat, Athanaſium ab exilio revocavit Conſtantius, & Antiochiam Syriæ ad ſe vocatum, liberum ei ad Epiſcopatum regreſſum offert: ſed unum (inquit) eſt, in quo mihi gratificari debes, ut unam Arrianis Eccleſiam in tua civitate concedas: cui cum ille reſpondiſſet, ſe quidem id Imperatori negare non velle; ſed æquum eſſe, ut & illi tantumdem concedat Imperator, ut Antiochiæ Catholicis una quoque Eccleſia concedatur. Quæ res quum ab altera parte magis Arrianis incommodaret, quàm una Alexandriæ Eccleſia, præſente illic Athanaſio, commodare potuiſſet; Imperator ex Arrianorum conſilio à poſtulato abſtinuit, virique prudentiam admiratus, Non fruſtra (inquit) hunc virum unum tantoperè Arriani exagitant. *Nicepho lib. 9. c. 24.*

Sed ut magna prudentia Flavianus Antiochiæ Epiſcopus catholicus, contra Adelphum hæreticum, & Maſſilianorum principem uſus eſt, ut totum peſtilentis hæreſis vene- C num quod occultaverat, & clanculùm multis inſtillaverat, nec de ullo convinci poterat, ſua ſponte oſtenderet. Hominem ad ſe Antiochiam evocat, benignè tractat, propè aſſiſtere jubet. Tum ad eum, Nos, inquit, ò ſenex, ad longam jam ætatem provecti, multoque uſu rerum edocti, & dæmonum fraudes perſpectas habemus, & dona Spiritus Sancti edocti ſumus. Iſti, juvenes, ſpiritualium ſermonum needum capaces, occultiora Dei myſteria non percipiunt. Itaque mihi, quæſo, aperias, quomodo ad nos Dei ſpiritus adveniat, & contrarius ſpiritus quomodo à nobis recedat. His verbis delinitus ſenex, totum cordis ſui arcanum patefecit, & peſtilentis ſuæ doctrinæ virus totum effudit. Quo audito, & ſeni verbis acerrimis maledixit, & totam illam Maſſilianorum peſtem (cui ſimile quiddam Anabaptiſmus hodiernus eſt) tota Syria expulit. *Theodoret. lib. 4. c. 10. Thomas Stapletonius ſuprà.*

ASTUTIÆ, CALLIDITATIS
Cum Injustitia
Conjunctæ.

D

Exempla S. Scripturæ.

Primum magiſtrum calliditatis & mendacii, ſeu, aſtutiæ, patet fuiſſe Diabolum in ſerpente. Qui cum calidior eſſet cunctis animantibus, primam mulierem ſeduxit. Non enim voluit virum aggredi primum, quem ſciebat majori diſcretione dotatum. *Gen. 3.*

Multoties voluit ſeducere Jacob nepotem ſuum modò in uxore, modò in mercede, Laban ſcilicet ſocer ejus. Sed Dominus in fraude circumvenientium illi affuit. *Ibid. cap. 29.*

Cùm Laban ſcrutaretur ſupellectilem Jacob, & veniret ad tentorium Rachel, illa ſollicitudinem quærentis aſtutè deluſit. *Geneſ. 13.*

Sævientes ob ſtuprum ſororis ſuæ Dinæ Filii Jacob, callidè ſuaſerunt, Sichem & civitatis populum circumcidi. Quo irruerunt in eos, & occiderunt. *Gen. 34.*

Filii Jacob voluerunt decipere patrem, quando tunicam Joſeph tinxerunt in ſanguine hœdi, mittentes qui dicerent ei: Hanc invenimus, vide, utrum tunica filii tui ſit, an non. E *Geneſ. 37.*

Diverſas excogitavit aſtutias Pharao rex Ægypti ad hoc ut filios Iſrael totaliter extirparet, ad hoc etiam, ut eos in Ægypto interimeret, & nullatenùs recedere pateretur. *Exod. 15.*

Malefici Pharaonis, quantum ad duo ſigna prima, fecerunt per incantationes, ſicut fecerat Moyſes. *Ibid. cap. 8.*

Malitioſè loquuti ſunt Chore, & complices ejus, quando ſteterunt contra Moyſen & Aaron, dicentes: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus. Quid elevamini ſuper populum Domini? *Num. 15.*

Videns Balaac Rex Moabitarum, quòd fortitudine filios Iſrael vincere non poterat, voluit eos maledictione Balaam ſuperare.

Gabaonitæ audientes, quæ fecerat Joſue Jericho & Hai, callidè cogitaverunt, quomodo poſſet ita facere, quòd non totaliter delerentur. *Num. 22.*

Saul invidens proſperitati David, dixit de filia ſua Mi- F chol, quam David habere volebat: Dabo eam illi, ut fiat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſtinorum. Dixit ergo Saul ad David: In duabus rebus gener meus eris hodie. *3. Regum 18.*

Per magnam aſtutiam voluit David celare iniquitatem ſuam, quando miſit pro Uria, ut dormiret cum uxore ſua. *2. Reg. 11.*

Nefandam calliditatem docuit Ammon filium David, Jonadab filius Semna, quando dixit ei, ut languorem ſimularet, & ſic Thamar ſororem Abſalon, de qua tentabatur, ſolus habere poſſet. *2. Reg. 13.*

Cum vellet Abſalon vindicare injuriam ſororis ſuæ, quam oppreſſerat Ammon frater ejus, fecit pergrande convivium, & fratrem ſuum invitavit, & dum comederet, ibi eum occidi fecit. *Ibid.*

Ambiens Abſalon regnum patris, cœpit malitioſè adulari, & facta patris ſui vituperans, ſe ipſum bene judicaturum jactavit. *2. Reg. 15.*

Dixit Jeroboam in corde ſuo: Nunc revertetur regnum G ad domum David, ſi aſcenderit populus iſte, ut faciat ſacrificium in domo Domini in Jeruſalem: & excogitato conſilio, fecit duos vitulos aureos. *3. Reg. 12.*

Achab rex Iſrael dixit quædam generalia verba nuntiis Benadab regis Syriæ, ſuos & ſua liberaliter offerendo. Ex quibus ille aſtutè voluit eum gravare nimis ad ſpecialia deſcendendo. *3. Reg. 20.*

Scelerata Jezabel crudeli aſtutia uſa eſt, ad hoc ut vinea Jaboth acquireret viro ſuo. *Ibid. 21.*

Sedechias filius Chanaam propheta Baal, fecit ſibi cornua fieri ferrea, quaſi eſſet Propheta verus, dicens regi Achab: Hæc dicit Dominus, his ventilabis Syriam, donec deleas eam. Tandem fefellit eum, & fecit eum ire ad bellum. *3. Reg. 22.*

Currens Gieſi poſt Naaman, callidè coloravit petitionem ſuam, quando dixit: Dominus meus miſit me ad te dicens: Modò venerunt ad me duo adoleſcentes, da eis talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices, &c. *4. Reg. 5.*

Athalia mater Ochoziæ regis Juda, videns mortuum filium, interfecit omne ſemen regium, & regnavit ſuper terram ſex annis. *4. Reg. 11.* H

Loquebatur alta voce Rapſaces nuntius Sennacherib regis Aſſyriorum, ut audiret eum populus, & timeret, ſuper murum. *4. Reg. 28.*

Dum Abia rex Juda exercitum ſuum confortaret, & adverſarios increparet, Jeroboam rex Iſrael retrò moliebatur inſidias. Cùmque ex adverſo hoſtium ſtaret, ignorante Juda, ſuo ambibat exercitu. *2. Parap. 13.*

Varias excogitaverunt aſtutias vicini filiorum Iſrael, qui redierant de captivitate Babylonis, ad hoc ut impedirentur in ædificatione templi & murorum civitatis Jeruſalem. *Nehem. 45.*

Superbiſſimus Aman, videns, quòd Mardochæus ipſum adorare nolebat, occaſione ejus ſuaſit regi per mendacia, ut totus Judæorum populus deleretur. *Eſther. 3.*

Quia Satan non poterat coram Deo virtutes Sancti Job omninò negare, voluit intentionem ejus callidè depravare dicens: Nunquid fruſtra Job timet Deum? Nota etiam ibi. Quomodo una die diabolus omnia bona temporalia ei abſtulit,

A ſtulit, & ſimul nuntios venire fecit, ut multiplici dolore per impatientiam frangeretur. *Iob. 1.*

Principes & Satrapæ regni Perſarum procurarunt, ut Darius ſtatueret decretum, contra quod Danielem cogitaverunt omninò debere facere, ut hac arte ipſum poſſent à rege avertere. *Daniel 6.*

Duo ſenes Presbyteri deteſtandam adinvenerunt nequitiam, ut poſſent Suſannam decipere, & poſteà ſe de ea crudeliter vindicare. *Ibid. cap. 13.*

Plenus malignitate Alcinus acceſſit ad Demetrium regem, & accuſavit Judam Machabæum in multis. Deinde ut narratur *2. Machab. 14. 1. Machab. 7.* obtulit regi coronam auream, & alia quædam dona, & ipſa quidem die ſiluit. Et poſteà tantum fecit, & dixit, quòd rex ſummum ſacerdotem eum conſtituit.

Jaſon miſit Menelaum portantem pecuniam Antiocho Regi: at ille Menelaus, commendatus regi, in ſemetipſum retorſit ſummum Sacerdotium, ſupponens Jaſoni talenta argenti trecenta. *2. Machab. 4.*

Herodes clam vocatis magis diligenter ab eis didicit B tempus ſtellæ, quæ apparuit eis, & mittens eos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero. Hoc verò qua intentione diceret, apparuit in occiſione puerorum. *Matth. 2.*

Phariſæi volentes capere Dominum in ſermone, miſerunt ad eum diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: Magiſter, ſcimus, quia verax es: licet cenſum dare Cæſari an non? *Ibidem cap. 22.*

Principes Judæorum cuſtodibus ſepulchri dederunt pecuniam copioſam, ut dicerent, Jesum de nocte furto ſublatum eſſe. *Ibid. cap. 28.*

Varios circuitus fecerunt Phariſæi, ut facerent confiteri cæcum illuminatum, quòd non eſſet illuminatus à Chriſto. *Ioan. 9.*

Ananias, conſcia Saphira uxore ſua, fraudavit de pretio agri venditi. *Act. c. 5.*

Samaritani attendebant ad Simonem magum, eò quòd magicis artibus ſuis multo tempore dementaſſet eos. *Act. cap. 8.*

Videntes Judæi, quòd Verbum Domini diſſeminabatur C per Paulum & Barnabam, concitaverunt religioſas mulieres & honeſtas & primas civitatis Antiochenæ, & excitaverunt perſecutionem in illos, & ejecerunt eos de finibus ſuis. *Act. 13.*

Cum Paulus & Barnabas eſſent in civitate Lyſtris, & tantam haberent gratiam ibi, quòd homines ipſis tanquam diis ſacrificare voluerant; ſupervenerunt quidam Judæi, qui taliter perſuaſerunt turbis, quòd Paulus fuit ibi lapidatus, & extra civitatem tractus, qui putabatur eſſe mortuus. *Act. 14.*

Quæſtuarii quidam cum puella ſpiritum pythonem habente, volentes conqueri de Paulo, non dixerunt, quòd per eum amiſerant quæſtum ſuum, ſed mentiendo dixerunt: Hi homines conturbant civitatem noſtram, annuntiant inſtituta, quæ nobis non licet ſuſcipere, cùm ſimus Romani.

Judæi malitioſè cogitaverunt petere à Tribuno, ut Paulum produceret in medium, quaſi aliquid certum inquiſituri eſſent ab illo. Inſidiabantur autem ei multi, qui volebant ſtatim interficere eum, & ad hoc etiam obligaverunt ſe per votum. *Act. 33.*

D

Exempla Historica.
Ac Primùm

ASTUTIÆ CONSIDERATÆ RESPECTU
perſonarum, erga quas. Erga

Tyrannos.

☞ *Exempla pete ex Tit. Tyrannicidarum, quatenus aſtutè cæduntur.*

AMASIOS, AMASIAS, CONCILIANDO,
Insinuando.

In amore conciliando magica deliria recenſet *Vierus lib. 4. c. 8. de Præſtig. dæm.*

Atalantam Hippomenes curſu ſuperavit, ſed arte, projectis inter currendum malis aureis, in quibus ſublegendis dum puella ſubinde remoratur, præceſſit ac vicit juvenis, & ex pacto victor illius nuptiis potitus eſt. *Conſule Metam. Ovidii.*

Oenamao narrant Piſæ regi filium fuiſſe, Leucippum no- E mine, qui puellæ amore captus, cùm eam ſi uxorem ſibi palam peteret, operam ſe luſurum pro certo haberet, quòd illa omninò à maritorum conſuetudine abhorrebat: ad eam fallendam hujuſmodi excogitaſſe aſtum dicitur. Alebat adoleſcens Alpheo amni comam. Eam ille cum quo virgines more ſolent religaſſet, cum muliebri veſte ad Daphnen venit, filiam ſe Oenomai ſimulans, quæ ſocia venationis eſſe cuperet. Cùm itaque virgo eſſe ex corporis habitu facilè crederetur, anteire verò cæteras comites generis dignitate, ac venandi peritia, & imprimis obſequentem ſe illis maximè præberet, miro ſibi Daphnen amore devinxit. At qui de Apollinis amore fabulam vulgarunt, hoc ampliùs addunt; Apollinem graviter ferentem Leucippi in amore fœlicitatem, effeciſſe, ut Daphne cum ſuo comitatu virginum natandi cauſa in Ladonem amnem deſcendens, ipſum etiam Leucippum recuſantem & invitum illuc pertraheret. Ac mox veſte detracta, cum virginis ementitum habitum deprehendiſſent, impetu facto, ipſæ Daphnes comites illum jaculis & pugiunculis transfixum interemerunt. *Pauſanias in Arcadiis.* F

Cteſylla Julide Cei inſulæ nata fuit, filia Alcidamantis. Hanc cùm Hermochares Athenienſis choream agere vidiſſet Pythiis ad aram Apollinis Cartheæ (urbs eſt inſulæ ejuſdem) amore ejus eſt correptus. Itaque in malum inſcripſit juramentum, quo per Dianam juraret virgo, ſe Hermochari Athenienſi nupturam. Id malum abjecit in fanum Dianæ, ſublatumque id Cteſylla legit, lectoque juramento, præ pudore abjecit, neque æquiore tulit animo, quàm Cydippe ab Acontio decepta. Cæterùm Hermochari petenti nuptias pactus eſt Alcidamas, laurumque tangens Apollinem juravit. Exacto autem Pythiorum tempore, oblitus juramenti, filiam alteri deſpondit. Cùm autem Cteſylla rem ſacram faceret in fano Dianæ, repulſæ impatiens Hermochares, eodem irrupit. Cteſylla cum nutrice compoſita noctu clam patre Athenas navigavit, nuptiæque cum Hermochare ſunt perfectæ. In partu autem Cteſylla deceſſit, propter patris perjurium. Cujus cadaver cum ad ſepulturam efferretur, columba à ſandapila evolavit, corpuſque mortuæ nuſquam apparuit. Conſulenti porrò oraculum Hermochari, reſpondit Deus, Ut apud Julitas templum poneret, ſacrum Ve- G neri Cteſyllæ. Ceis etiam oraculum datum eſt: hique etiamnum Veneri ſacrificant, Cteſyllam eam appellantes. Alii Cteſyllam Hecaergam. *Antonius Liberalis ex Transfor. Nicandri lib. 3.*

Potiundo,
Invitis.

Apud Ilienſes in terra Trojana mos erat patrius, ut quæ virgines eo anno nupturæ eſſent, hæ ad Scamandrum fluvium accederent, ibique lotæ, hæc verba, veluti ſacra, ſolennia atque legitima, pronuntiarent: Cape ò Scamander meam tu virginitatem. Ergò inter alias quædam virgo nomine Callirrhoe, illuſtri orta familia, ad fluvium venerat lavandi cauſa. Sed interea Cimon, qui Callirrhoes pudicitiæ jamdudum inſidiabatur, ſe clàm aliis omnibus in frutice Scamandri occultaverat, caput arundinibus redimitus, ut joco facto, Deus eſſe videretur. Itaque cùm ex more Callirrhoe verba illa recitaſſet, hoc ornatu proſiliens è fruticibus Cimon, reſpondiſſe dicitur: En Scamander, accipio lubens, tibi Callirrhoe charus atque amantiſſimus: eoque H dicto, puellam rapuiſſe & occultaſſe. Verùm quatriduo pòſt detegitur ſcelus. Nam cum Veneris pompa duceretur, atque recèns factæ mulieres, huic, pro inſtituto, intereſſent; Callirrhoe cum nutrice ambulans, Cimonem itidem cum aliis ſpectantem fortè cum vidiſſet, honorem ei ut Deo præbuit: nulliuſque mali ſibi conſcia: Ecce, nutrix (inquit) hic Scamander, cui meam virginitatem dono dedi. Nutrix itaque exclamavit. Hac ratione divulgato facinore, cum turba acceſſiſſet, ut Cimonem apprehenderet, is fuga ſupplicium eluſit. *P. Ærodius, ex Æſchine in epiſtolis.*

Valentinianus III. Imp. uxorem Petronii Maximi perditè deperibat: erat autem Maximus ſenator, idemque patricius, nepos illius Maximi, quem Theodoſius Magnus Gratiani ulciſcendi cauſa ſuſtulerat. Hanc igitur forma excellentem cum miſerè amare cœpiſſet, blanditiis primùm ad ſui obſequium allicere nixus eſt; ubi verò pectus ejus munitum pudicitia reperit, ad artem ſe contulit, quippè Maximum ad ſe accerſivit, & de induſtria ludere cum eo talis inſtituit, certoque auro propoſito, annulo ejus ludi victor potitus eſt: quem

quem ſtatim Maximi nomine clam ad illius conjugem miſit, eamque juſſu mariti, ſigno accepto, properare in Palatium ad ſalutandam Eudoxiam Auguſtam præcepit. Mulier, annulo mariti conſpecto, nulla de re ſuſpicans, adiit, ac ſtatim in gynecæum à paratis ad id mulieribus deducta eſt. Neque ita multò pòſt Valentinianus, Maximo relicto, libidine ardens, acceſſit, atque amorem teſtatus, caſtiſſimæ mulieri ſtuprum nefarium intulit. Dimiſſa inde mulier, ut injuriam violatæ pudicitiæ vindicaret, viro rem p[illegible], ipſumque, ut qui tanto probro occaſionem aperuiſſet, propè deteſtabunda increpuit, ac mox rei indignitate per ſe ſatis accenſum, quibuſdam quaſi furiarum facibus ad tantam perſequendam contumeliam incitavit. Maximus inde, cùm ſe Valentiniano vitam eripere ſine certo periculo non poſſe, vivente Aetio duce fortiſſ. animadverteret, ipſum antè de medio ſibi tollendum exiſtimavit. Itaque rem aggreſſus, eunuchos regii corporis cuſtodes, ſpe præmiiſque corruptos, induxit, ut Valentiniano perſuaderent, Aetium rebus geſtis inflatum, novas res in Gallia meditari. Quod cum princeps credidiſſet, continuò cogitare de illius delendi ratione inſtituit. Cùm autem in hanc curam animum intendiſſet, fortè ex amico quodam quæſivit, Num Aetii mortem utilem fore reip. judicaret? Cui ille: Minimè verò, inquit; imò ſi illum ſuſtuleris, tu tibi dextram manum altera deſecabis. Qua voce haudquaquam deterritus, Aetium Romam accivit, & ſatellitibus in Palatio collocatis, ubi acceſſit, per eos incautum unà cum Boetio amico fœdiſſimè trucidavit. Maximus inde Oſtilam & Tranſilam, fidos quondam Aetii ſatellites, indignitate domini necis injecta, ac muneribus & pecunia in præmium periculi oſtentata, impulit, ut Valentiniano Imperatori ingratiſſimo, parùm ab eis caventi, manus afferrent. Illi hominem inermem, in campo Martio pro tribunali concionantem nacti, circumſteterunt, & per Ocillam Aetii bucellarium ex adverſo venientem gladio confoderunt, ac vita exuerunt. In eo tumultu Heraclius eunuchus cecidit, cum pro domini ſalute ſuum caput offerret, fidemque in extremo etiam caſu præſtare contenderet. Tota inde non ſolùm regia, ſed etiam urbe tanti facinoris magnitudine conſternata, nemo extitit, qui ſe Maximi conatibus adverſarium exhibuerit. *Sigonius lib. 13. Imp. Occid.*

Othinus magus, cùm Balderum F. Danorum regem, ab Hothero Svecorum rege cæſum cognoviſſet, divinos & aruſpices, ad mortem filii perſequendam, ſolicitavit. Roſtiophus Phinnicus, alium ex Rinda Ruthenorum regis filia ſuſcitandum prædixit, qui fraternæ cladis pœnas exigeret. Othinus ergo diſſimulato habitu Ruthenorum regem accedit. A quo magiſter militum effectus, pulcherrimam ex hoſtibus victoriam retulit. Quem Rex, ob pugnam ſtrenuè editam, inter primos habuit. Non multò pòſt ſolus hoſtium acies in fugam vertit, mirificæque cladis idem auctor ac nuncius fuit. Hac ratione regi inſinuatus, eundem amoris ſui conſcium facit. Sed dum à puella oſculum peteret, alapam recepit. Poſtero anno aurifabri Roſteri nomine & veſte ſumpta, regis contubernium repetit, mundum muliebrem inſignem explicat, armillam, annuloſque complures præbet. Eum Rinda, baſium ſibi porrigere cupientem, colapho percuſſit. Ad tertium dolum converſus, juvenili habitu aſſumpto, inter expeditiſſimos obequitare, & variis curſuum ludicris puellæ animum ſibi conciliari tentabat. Inde cùm diſceſſurus oſculo petere vellet, ita ab ea repulſus eſt, ut mentum terræ nutabundus impingeret. Quam protinùs cortice carminibus adnotato contingens, lymphanti ſimilem reddidit, receptam toties injuriam modeſto ultionis genere inſequutus. Tandem muliebri veſte ſumpta, Uvecham ſe medendi peritam profitebatur: adeòque in reginæ famulitium adſcitus, puellæ pediſſequam egit, ejuſdemque pedes veſperè abluere ſolebat. Commodùm interea gravi morbo puella corripitur, medicæque artem implorat. Is ſupremo remedio utendum eſſe docet, ſed cujus vim niſi vinculis conſtricta perferre nequeat. Pater filiam vinctam ad omnia medicæ præcepta patientiam præſtare juſſit. Ergò mutato curationis officio, pro medico maritum egit. Ajunt alii, cum Rex laborantem amore medicum tanto animi ac corporis impendio nihil profeciſſe cognoſceret, ne bene meritum debita mercede fraudaret, clandeſtino filiæ concubitu potiri permiſiſſe. Inde natus eſt Bous, qui Hotherum tandem acie victum occidit. *Saxo lib. 3.*

Volentibus.

Smyrna filia Thejantis, Beli F. & Orithyæ nymphæ, diro amore patrem deperibat. Quem cùm præ verecundia aliquamdiu diſſimulaſſet, victa tandem, Hippolytæ nutrici rem aperit. Hæc pollicita remedium ſe malo inventuram Thejanti ſignificat, puellam eſſe parentum fortunatorum filiam, quæ in ipſius cubile clanculùm venire cupiat. Thejas approbata re, domi ſuæ in lectum ſe in tenebris compoſuit. Nutrix Smyrnam veſte occultatam adduxit. Is cum ea rem habuit, donec uterum ferre cœpit. Cùm verò Thejantem cupido inceſſiſſet cognoſcendi puellam, quænam eſſet: in domo ignem abſcondit, & veniente ad eum Smyrna, ſubitò igne allato eam agnovit. Quæ abortum cùm feciſſet, & ſublatis manibus optaſſet, ut neque vivis, neque mortuis intereſſe ſibi daretur, in arborem cognominem à Jove converſa eſt: Thejas autem ſibi ipſi manus intulit. *Anton. Liber. in Metam. & Natalis comes Mythol. lib. 5. c. 16.*

Mater Periandri Corinthii, Filii amore capta, eum valdè juvenem adhuc allocuta fertur: eſſe fœminam quandam formoſam planè, quæ eum immodicè amat: ſuadere ſe, ne illam deſpiceret. Periander, ſi non eſſet conjuncta viro, facturum recepit. Poſtquam nox ſtatuta veniſſet, admonuit ipſum, ne lumen ad thalamum inferret, neque cogeret eam ad colloquium, atque id illius pudori condonaret. Qui cùm omnia ſe facturum pollicitus eſſet, pulcherrimè ornata, ad filium ingreditur: ac priùs quàm aurora illuceſceret, clam rurſus exit. Idque multoties repetiit, donec etiam Periandrum libido eam cognoſcendi inceſſeret. Quod cùm à matre impetrare non poſſet, ipſe aliquem ex miniſtris lumen in cubiculo occulere juſſit: illudque, cum ea pro conſuetudine accederet, producens, matrem eſſe agnovit. Ex quo tempore mente perculſus inſanivit, in crudelitatemque incidit. Mater ſeipſam interemit. *Parthen. de Amat. c. 16.*

P. Clodius fuit nobili genere ortus, divitiis & facundia præcellens, ſed inſolentia & audacia nulli improbiſſimorum ſecundus. Hic uxorem Cæſaris Pompejam amabat, neque invitam. Verùm mulierem Cæſar acri ſepſerat cuſtodia, ejuſque mater Aurelia, fœmina honeſta, perpetuò lateri adhærens Pompejæ, arduum & periculoſum eis congreſſum efficiebat. Eſt apud Romanos Dea quam Bonam dicunt, ſicut Græci Muliebrem. Hanc Phryges ſibi aſſerentes peculiarem, Midæ regis autumant matrem eſſe; Romani nympham Dryada Fauno nuptam; Græci Liberi patris eam matrem, quàm nefandum eſt nominare: unde pampinis tentoria feſtum diem agitantes mulieres contegunt, ac ſacer draco ex fabula ad pedes deæ jacet. Eò virum fas non eſt accedere, neque dum ſacra aguntur, in domo, ubi aguntur, eſſe. Solæ fœminæ multa Orphicis germana memorantur in ſolemni peragere. Ubi feſtus dies inſtat, celebratur in ædibus conſulis vel prætoris: ipſe autem domo omneſque viri cedunt. Uxor ſola domum parat, peragiturque ferè nocte, per luſum pervigilio commiſtum, inter magnum concentum. Hunc feſtum diem id temporis agitante Pompeja, Clodius imberbis etiamnum, ideòque fallere ſe exiſtimans poſſe cæteras, veſtitu & cultu ſumpto pſaltriæ, acceſſit eò, juvenculam facie referens. Cum fores offendiſſet patefactas, ab ancilla conſcia eſt citra impedimentum introductus. Dum autem illa properat, ut id Pompejæ nunciet; mora interveniente, operiri ubi relictus erat non ſuſtinenti Clodio, laxiſque in ædibus erranti, lumenque declinanti, occurit pediſſequa Aureliæ, atque, ut fœmina fœminam, provocat ad luſum. Detrectantem in medium rapit: quæ ſit & unde, percunctatur. Cum reſpondiſſet Clodius, Aureliam expectare ſe Pompejæ ancillam (nam id nominis ei erat) voce eſt detectus. Ibi repentè pediſſequa proſilit cum clamore ad lumen & cœtum, virum vociferans ſe deprehendiſſe. Obſtupefactis mulieribus, ſacra deæ Aurelia inhibet & obvelat. Mox juſſo obſervari fores, ad faces domum luſtrat, Clodium quærens. Refugerat ille in ancillæ tabernaculum illius, cum qua congreſſus fuerat, atque ibi deprehenditur. Cognitus à mulieribus, exigitur foras. *Plut. in Cæſare.*

Decius Mundus, antiquæ nobilitatis adoleſcens, cum Paulinæ matronæ honeſtiſſimæ atque pudiciſſimæ, quam uxorem duxerat Saturnius, miſero amore caperetur: ac nihilùm ſuis pollicitationibus, cæteriſque aliis amatoriis artibus, in adeò rara fœminæ caſtitate proficeret: de ſalute ſua deſperabat. At anus liberta (quam Iſidem appellabant) nimiùm de patroni ſui filio ſollicita, cum certò ſciret, nunquam pecunia Paulinam expugnari poſſe: eandem autem præ cæteris diis omnibus Iſidem colere, neque alia ſacra alioſve ſacerdotes frequentiùs adire, ſuſpicere: putavit libertina

ſibi ſacerdotum lenocinio utendum eſſe: quia ſciret eos eſſe avaros, nullum non jus religionis ab iis violari poſſe. Nec opinione ſua decepta eſt. Itaque ſacerdotes mercede adducti ſeniori delegant facinus. Hic credulæ atque religioſæ mulieri, ſuo facto atque auctoritate ſua facilè perſuadet, Deum Anubim forma illius captum, eam ad cœnam & amplexum appellare: itaque ut in templo pernoctet, ei neceſſe eſſe. Paulina quid Deo denegaret? id verò in ſummo bono collocat. Igitur cùm & ea de re multos ſermones cum marito habuiſſet, Saturninus hoc tribuit tandem ſive religioni ſive uxoris ſuæ pudicitiæ, ut Dei mandatis obtemperaret: in templo Iſidis una nocte obdormiret. Ergò Paulina in templum venit: paratur ei lectus à ſacerdote: ſed Deus ille fuit Decius. Res denique ita comparatur, ut Paulina ſeſe crederet à Deo complexam, atque id non celabat vel maritum vel alias ſibi notas atque familiares vicinorum matronas. Tenebat omnes ſumma admiratio: ſolaque fidem faciebat eximia, probata & experta Paulinæ pudicitia. Itaque magis credere, quod de Alcmena & Rhea Sylvia narratur. Verùm triduo pòſt, cùm Decius Mundus inſultans mulieri, fucum factum objiceret, res ad Tiberium defertur. Qui cognita veritate, diuque diſcuſſa, poſtremò conſcios omnes ſacerdotes cruci affixit, itemque libertinam tantæ impietatis artificem: templum (quod majus eſt) ſubverti ac dirui, atque Iſidis imaginem in Tyberim projici: cæterùm adoleſcentem relegari juſſit, quem judicabat ætate & amore impulſum magis, quàm certo animi judicio, deliquiſſe. *Ærodius ex Ioſephi Antiqu. lib. 18. cap. 4.*

Meſſalina cujuſdam ſaltatoris amore capta, cùm ei perſuadere non poſſet, ut ſecum coiret, petivit à Claudio Imp. viro ſuo, ut illum ſibi obſequi juberet, tanquam ipſi in quibuſdam aliis rebus opera ejus neceſſaria foret. Is, poſteaquam ei Claudius præcepit, ut omnia, quæ Meſſalina imperaret, libenter faceret, cum illa rem habuit, tanquam id quoque ſibi imperatum fuiſſet. Id quod Meſſalina etiam in multis aliis fecit. Nam quaſi Claudio conſcio, ſinenteque ei petulanter vivere, mœchabatur. *Xiphil. Zonaras* Mneſterem vocat ſaltatorem hunc.

Alexandriæ ſacerdos Saturni, Tyrannus nomine, quaſi ex reſponſo numinis, adorantibus in templo nobilibus quibuſque & primariis viris, quorum ſibi matronæ ad libidinem placuiſſent, dicebat, Saturnum præcepiſſe, ut uxor hujus vel illius pernoctaret in templo. Tum is, qui audierat, gaudens quòd uxor ſua dignatione numinis vocaretur, exornatam comptiùs, inſuper & donariis onuſtam, ne vacua ſcilicet repudiaretur, conjugem mittebat ad templum, in conſpectu omnium concluſa intrinſecùs matrona. Tyrannus clauſis jannis, & traditis clavibus, diſcedebat. Deinde facto ſilentio per occultos meatus & ſubterraneos aditus intra ipſum Saturni ſimulacrum parvulis irrepebat cavernis. Erat autem ſimulacrum illud à tergo concavum, & parieti diligenter annexum: ardentibuſque intra ædem luminaribus, intentæ ſupplicantique mulieri vocem ſubitò per ſimulacrum æris concavi intonabat, ita ut pavore & gaudio infelix mulier trepidaret, quòd dignam ſe tanti numinis putaret alloquio. Poſteaquam verò, quæ libitum fuerat, vel ad conſternationem majorem, vel ad libidinis incitamentum diſſeruiſſet numen impurum, arte quadam linteolis obductis, repentè lumina extinguebantur univerſa. Cum deſcendens, obſtupefactæ & conſternatæ mulierculæ adulterii fucum profanis commentationibus inferebat. Hæc cùm abſque ſtultorum maritorum Zelotypia ſuſpicione gererentur, accidit, quandam pudicæ mentis fœminam horruiſſe facinus, & attentiùs auſcultantem cognoviſſe vocem Tyranni, ac domum regreſſam, viro de fraude ſceleris indicaſſe. Ille injuria conjugis, imò gentis potiùs inflammatus, Tyrannum ad tormenta deduxit. Quo convicto atque confeſſo, latebriſque fraudis revelatis, pudor omnis & dedecus Paganorum pervaſit domos, adulteris matribus, inceſtis patribus, liberis ſpuriis deprehenſis. *Euſeb. lib. 11. cap. 25. hiſt. Eccleſ.*

Snio Danorum rex, filiæ Holſtani Gothorum regis mutuo amore captus, conveniendæ ejus copiam clandeſtinis nunciis tentavit. Illi intercepti, ſuſpendioque necati, improvidæ legationis pœnas dederunt. Snio Gothiam hoſtiliter ingreſſus, duello per athletas victor, Gothiæ regnum obtinuit. Cum verò puella interim Sveonum regi nupſiſſet, quemdam mendicum ad eam tentandam miſit. Qui viſa fortè regina, ſtipis prætextu exilia vocabula ſuccinés: Amat, inquit, te Snio. Illa vocem diſſimulanter excipiens: Amantem, inquit, me redamo. Idem die poſtera foribus rurſus aſſidens: Locum, ait, voto ſuppetere convenit. Illa Bocheror brevi ſe perventuram aſſerit, locum fugæ deſtinatum. Tertio tandem die opportunum tempus cognoſcere ſtuduit, illa quàm breviſſimè potuit hyemis initium deſignavit. Ergo Snio reginam lavandi ſimulatione cum magnis opibus egreſſam, loco & tempore conſtituto avehendam curavit. Eaque de cauſa poſt ſæpenumerò inter ipſum ac Veciæ regem ancipiti eventu dimicatum eſt. *Saxo lib. 8. & Crantz. lib. 2. Svecia cap. 25.*

Regnerus, Danorum Rex, cujuſdam puellæ, quam deperibat, patrem omni genere honoris & benevolentiæ proſequi cœperat. Is quum ob amorem filiæ ſuæ hanc principis liberalitatem provenire cognoviſſet, filiam tantò impenſiùs obſervandam curavit. Verùm Regnerus puellæ conſenſu villam, in qua aſſervabatur, acceſſit: & ruſticæ habitu fila ducentis eam adiens nocte virginitatem amplexatus eſt. Pater ſtupratorem ex ipſa cognoſcere volebat. Illa ſe neminem præter pediſſequam lecti participem habuiſſe pertinaciùs affirmante, rem regi cognoſcendam mandavit. Ille proprii ſceleris profeſſione, alienæ innocentiæ fidem facere non erubuit: natumque Ubbonem vocavit. Qui etiamnum puer matris dilectionem, quòd excellenti ſe toro miſcuiſſet, amplexus: venerationem patris, quòd obſcuriorem juſto copulam deſcendiſſet, abjecit: nec multò poſt regnum patri eripere conatus, prælio victus atque captus eſt. *Saxo lib. 9.*

Occultando.

Habebat Henricus Dux Brunſvicenſis in matrimonio, Vittembergici Ducis Huldrici ſororem Mariam. Hujus erat in gynæceo puella quædam eleganti forma, genere nobilis, Eua Trottina. Cœpit hanc ille deperire, & cum perſuaſiſſet proles aliquot ex ea procreavit. Deinde quò minùs res deprehenderetur, & ut ejus frueretur conſuetudine diutiùs, conſilium ei dat, ut domum ad parentes velle redire ſimulet: currum, equos, & quidquid eſſet ad profectionem neceſſarium, ipſi ſubminiſtrat. Abjit illa, cumque domum ire putaretur, in quandam illius arcem abducitur. Hujus arcis præfectus jam antè doctus erat ab eo, quid fieri oporteret: adhibentur etiam una & altera muliercula, quibus ipſe maximè fideret. Eva paucis pòſt diebus, quàm eò veniſſet, in lectulum ſeſe componit, & morbum ſimulat. Ille jam antè curaverat fieri ſimulactum ligneum, quod hominis mortui caput, cervicem atque pectus repræſentaret: reliquæ corporis partes erant expreſſæ linteo quodam. Id effarciebant mulierculæ cinere vel terra, ſic ut ſolidum videretur. Poſt ligneum caput atque pectus ei linteo ſic effarto ſuperimponunt, & accommodant: linteum verò ſic erat formatum, uti etiam obduceretur capiti. Compoſitum ergo corpus ad hunc modum & obvolutum, humi reponitur, ut in mortuis fieri conſuevit. Statim ex mulierculis altera venit ante cœnaculum præfecti, nunciat, Evam eſſe mortuam: mox ille jubet parari thecam ad reponendum corpus: deterrendi verò cauſa, ne quis propiùs accederet, fingunt interiiſſe peſtilentia, & juniperi granis aliiſque rebus odoratis faciunt ſuffitum. Poſtea funus effertur, & cum pompa deducitur ad Franciſcanos, qui ſuo more per totum annum deinceps pro concione populum hortantur, ut pro mortua Deum deprecentur. Idem fit in arce primaria Vvolfebutelo, quæ non procul abeſt urbe Brunſvico. His exequiis aderat Ducis uxor cum pediſſequis & cœtu virginum, omnes cultu lugubri. Interim Eva, cujus mortem adeò multi deploraverant, rectè valet in arce Staufferburgo, ubi ſubinde reviſit ipſam Henricus, ab eoque tempore proles ex ea ſuſtulit ad VII. Uxori quoque perſuadet, ut Evæ parentibus atque propinquis mortem illius nunciet. Cum autem illam ſupereſſe, & Staufferburgi detineri, fama deinde ſpargeretur: uxor vehementem ſuſpicionem concepit, & quoad viveret, in animo defixam habuit, & ſubinde datis ad eum literis, miſeriam ſuam deploravit. Hoc ejus factum inter alia fuit à Proteſtantibus principibus Cæſari in Spirenſibus Comitiis anno 1544. indicatum. *Sleidan. lib. 15.*

Discipulos.

Athenienſes olim Sophiſtæ non eloquentia tantùm, ſed & miris artibus ineſcabant & alliciebant auditores. Habebant ſinguli ſuarum partium ſtudioſos naucleros, caupones, addo etiam meretrices, & è navi egreſſos ſtudioſos captabant ad hunc vel illum profeſſorem adducere. Sicuti *Eunap.*

in vita

A *in vita Proæreſii & Vlpiani* docet, Vlpianum inſidiis Diophanti auditorum à ſchola Prohæreſii, abductum aſſerens.

Colluſores.

Vir quidam primarius ſingularum ludum exercebat (vulgus Primeram vocat, quòd inter omnes fortunæ ludos primas obtinere paſſim videatur, cùm ſolertiæ & audaciæ & temeritatis & ſtultitiæ, ubique autem ſpei locum habeat) Qui colluſor erat, ordine prior, heptada monadaque primis quatuor tabellis, quæ ſeptem & triginta numeros complent, ejuſdem notæ ſortitus erat. Mox poſt primam ſponſionem, quæ duabus porrectis tabellis fieri ſolet, ut fit, illam quinquaginta aureis adauxit. Quam quidem auctionem ille heptada & ſenionem nactus, hoc eſt, numeros triginta novem, non ſolùm admiſit, verùm etiam jam tum aliis inſuper centum majorem fecit. Quod cum alter, quamvis dubius principio, tamen admitteret, dejectis tum utrinque binis chartulis, ac totidem ſortitis protrahens ex more, prior, ſenionem ſuis tabellis acceſſiſſe conſpicit, eoque maximum adimpleviſſe ſe numerum. Itaque univerſam quam habebat in ludo pecuniam, circiter trecentos aureos, omnes in me- B dium protrudens, eos ſorti adjunxit. Quod cùm prior videret, ſuas protrahens chartulas, & nunquid ſors ferret reſpiciens, quaternionem ſuis adjunctum eſſe chartulis comperit, numeroſque quinquaginta & tres nactum eſſe. Valdè tamen adhuc propter ingentem auctionem dubius, nihil ad auctionem factam reſpondens, prolatis tabellis: Eccum (inquit, ſubitaque voce, annuentis ſimili) numeros quinquaginta & tres. Cui mox alter, At eccum quiquaginta & quinque: putans, quod adduxerat pretium, omne ſe accipere; cui tum ille: Scilicet, bone vir, auctionem non admitto. Ille verò inſtare atque ad arbitros rem deferre. Qui quidem omnes, qua jure, qua injuria, pro priore illo ſententiam tulerunt: nec defuerunt, qui ingenium laudarent. *Paſchaſ. Iuſtus lib. 1. de Alea.*

Defectores, Proditores.

Tradunt quidam, Regem quendam Ægyptiorum priſcum animalium cultum, in ſingulis ferè urbibus peculiarem, lupi, crocodili, ichneumonis, accipitris, introduxiſſe: ut populum temerarium, & ad res novandas promptum, di- C verſitate religionis diſtraheret, & multitudini alioqui invictæ occaſionem perpetui diſſidii daret. Siquidem cum animantes illæ infeſtè ac hoſtiliter ſe mutuò peterent, earum cultores in factiones quoque ſenſim diſtracti ſunt. Soli Ægyptiorum Lycopolitæ ove veſcuntur, quando & lupus, quem pro Deo habent. Oxyrinchitæ, cùm oxyrinchum piſcem Cynopolitæ manderent, canes eorum captos & immolatos ut victimam voraverunt. Hinc bello commiſſi, cùm ſe invicem cladibus affecerunt, tum poſtea ab Romanis malè multati, pacem compoſuere. *Plut. de Iſide.*

Xerxes Babyloniis ob eorum defectionem infenſus, poſtquam eos recepit, ne arma ferrent, imperavit: ſed pſallerent, tibia canerent, lenocinia & cauponas exercerent, & tunicas ferrent ſinuoſas. *Plut. in Apoph.*

Leontini, ne res novas molirentur, à Phalaride conviviis & vinolentiæ relicti ſunt. Cyrus Lydis ſuperatis, cùm eſſent infidi & damnoſi, imperaſſe fertur, ut dimiſſis armis, jocis & nequitiæ vacarent, talareſque tunicas ferrent. Ideò Lydius ornatus, mollis & parùm virilis habitus. Ariſtodemus tyrannus Cumenſium optimatum filios, ne quid con- D tra ſe moliri poſſent, calamiſtratos incedere, & tortis crinibus ornari, talares pictaſque tunicas induere juſſit.

Lyſimachus, cùm Antariatæ ſuis impedimentis ſpoliati eſſent in pugna adverſus Demetrium Polycratem facta: metuens, ne quid novarum rerum inciperent Barbari omnibus poſſeſſionibus exuti, productos ſexcentos extra vallum, tanquam ad frumenti diſtributionem, dato ſigno omnes ad unum interfecit. *Polyæn. lib. 4.*

Polycrates Samiorum tyrannus, metuens, nè à ſuis civibus proditus in exulum poteſtatem veniret, liberos & uxores civium inter novalia coactos tenebat, ut ſi eum cives exulibus prodidiſſent, unà cum ipſis novalibus conflagrarent. *Herodot. lib. 3.*

Agathocles, cum audiſſet principes Syracuſiorum novis rebus ſtudere, Carthaginenſibus devictis, gratulatoria diis ſacrificia peragens, quingentos viros, quos ſuſpectos habebat, ad convivium convocavit. Erat ſanè magnificentiſſimum, & ſupra modum opiparum convivium. Ipſe verò tyrannus, cùm omnes jam largiùs vinum hauſiſſent, in medium eorum ingreſſus, crocotumque indutus & amictus, Tarentina fiſtula cecinit, citharaque luſit atque ſaltavit, ita E ut è nimia voluptate tumultus ſtrepituſque conſequeretur. Interim dum omnes indulgent genio, ipſe è convivio ſe ſubduxit, quaſi defatigatus, & ſe veſtem mutaturum ſimulavit. Circumdederat eum locum, ubi convivium agitabatur, magnus armatorum numerus, & ex iis mille diſtrictis gladiis bini ſingulos aggreſſi, diſcumbentes ad unum omnes peremerunt. *Polyæn. lib. 5.*

Dionyſius, cum urbem cepiſſet, cujus cives partim mortui, partim in exilium erant acti, & urbs amplior eſſet, quàm ut modicum præſidium ad eam tuendam ſufficeret: paucos quidem ibi in præſidio reliquit, captis verò ſervis, dominorum filias in matrimonium dedit: ut ſummas inimicitias adverſus eos gerentes, fideliter civitatem cuſtodirent ac defenderent. *Polyæn. lib. 5.*

Antigonus illi, qui præſidio obtinebat Nunychiam, cum eam muniviſſet, ſcripſit præfecto, ne collare tantummodò validum, ſed ut canem etiam ſtrigoſum faceret, detrahendis populo Athenienſi facultatibus. *Plut. Serm. amat.*

Tiberius Cæſar hoſtiles motus per legatos compeſcuit, nec per eos quidem, niſi cunctanter, & neceſſariò. Reges F infeſtos ſuſpectoſque comminationibus magis & querelis, quàm vi repreſſit. Quoſdam per blanditias atque promiſſa extractos ad ſe, non remiſit: ut Maraboduum Germanum, Thraſypolim Thracem, Archelaum Cappadocem: cujus etiam regnum in formam provinciæ redegit. *Sveton.*

Eduardus I. Anglorum Rex ſubacta Scotia, omnes conſuetudines veteres Scotorum abolere ſtatuit, ut unà cum moribus etiam animi cum Anglis coaleſcerent. Hiſtorias omnes Scotorum, omnia ſacrarum juxta & profanarũ rerũ volumina concremari ubique præcepit, magna decreta pęna illi, qui præceptum contempſiſſet. Libros ſacros Anglico ritu conſcribi juſſit, eoſque ſolos haberi edixit. Quotquot verò eruditionis erant uſquam nomine clari, quorum haud paucos tum Scotia alebat, Oxonium relegavit: ne illorum inſtitutione effecti ſapientiores, jugum rejicerent. E regione Cameloduni, quæ olim regia fuerat Pictorum, conſpecto Claudii Cæſaris Victoriæque pervetuſto templo, quod ad coronam omnem à Veſpaſiano olim ædificatum adhuc ſtabat, vetuſtate conſpicuum, vel hoc boni Scotis invidens, delere præcepit. Sed incolis antiquitates ſuas adamantibus, G neque extemplò præceptum perficientibus, mutato ſtatim conſilio, parietibus & tecto templi vitam dedit. Cæterùm monumenta Cæſaris omnia deleri voluit, & ablato lapide, ubi Claudii Victoriæque inſculptum nomen erat, Arturi olim Anglorum regis nomen inſcribi juſſit, atq; illius vocari regiam, quod & in hanc uſque noſtram memoriam tenet vernacula Scotorum lingua, Arturi Hóf appellantium. Jam in Angliam reverſurus, ne ullum deletis hiſtoriis regni uſquam veſtigium permaneret: cathedram lapideam, quibus inſidentes coronari Scotorum reges conſueverant, è Scona Londinum ſecum attulit, atque in Veſtmonaſterio, ubi etiam hodie viſitur, collocavit. *Hector Boethius lib. 14.*

Caupones.

Viator quidam eſuriens, cum divertiſſet ad cauponulam, ventrem cibo potuque farcivit. Petente pecuniam caupone, ait nullos ſibi eſſe numos, ſed cantilenis ſe ſatis eſſe facturum. Tabernarius non cantu, ſed pretio ſibi opus eſſe reſpondit. Tum alter, ſi eam cantionem dicam, quæ placeat tibi, num ea pro pecunia contentus eris? Annuente H caupone, cœpit viator canere, & an ea placeret, interrogavit. Cum abnuiſſet caupo, unam, & deinde alteram cecinit. Nullius cantu ſibi ſatisfieri ille teſtatus eſt. Hìc viator: Dicam ergo nunc, inquit, eam quæ tibi ſit placitura. Et arrepto marſupio, diſſolventi ſimilis, cœpit cantionem, qua viatores uti conſueverunt, *Metti mano alla borſa, e paga l'hoſte*, hoc eſt, Immitte manum burſæ, & ſatis fac hoſpiti. Hac dicta, Nunquid illa placeret? rogat. Placet hæc, inquit hoſpes. Tum viator: Satisfactum eſt igitur tibi ex pacto. Ego abeo. *Poggius in Facetiis.*

Mendicos.

Quidam Neapolitanus genere tenebat hoſpitale Vercellis in Gallia citeriori, ex quo parum percipiebat emolumenti, propter impenſas quæ in pauperes ibi fiebant. Miſit ergo de ſuis quendam Petrillum nomine ad colligendum pecunias. Ille habitu medici hoſpitale ingreſſus, cum omnes convocaſſet: Ex pinguedine, inquit, hominis conficiendum eſt unguentum. Itaque inter vos hodie ſortem jaciam,

A jaciam, quia pro ſalute cæterorum vivus in aqua elixari debeat. In his verbis territi, clàm Xenodochium reliquerunt. *Poggius in Facetiis.*

HOSTES

Opprimendo, Invadendo.

☞ *Vide Tit. Vlciſci aſtutè.*

Athenienſes cum expedionem adverſus Corcyrenſes exules, Hiſtonê montem tenentes, ſuſcepiſſent, illi arma tradiderunt, deferentes Athenienſium populo de ſe ſtatuendi poteſtatem. Quòd ſi qui ipſorum fugam parare deprehenderentur, irritum eſſe fœdus debere. Corcyrenſes veriti, ne nimis humaniter Athenienſium populus de eis ſtatueret, clàm ad Argivos miſerunt, ſuadentes, ut ſe in fugam conjicerent: navemque ſuppeditaverunt, ut ſi morem geſſiſſent, ac fugiſſent fœdus diſſolveretur. Athenienſes eos quaſi fœderum ruptores Corcyrenſibus tradiderunt. Qui eos receptos, ad unum omnes morte multarunt. *Polyæn. lib. 6.*

Pyrrhus in Peloponneſum expeditione ſuſcepta, Spartiatis omnibus per Arcadiam legatos de pace mittentibus, perhumaniter eos recepit, ſuoſque filios ad Spartiatas miſſurum B pollicebatur, ut Lycurgeis diſciplinis imbuerentur. Hæc legatis Spartam renunciantibus, Pyrrhus cum exercitu infeſto acceſſit. Incuſantibus Spartanis, eum alia, quàm prædixerat, facere, ridens ait: Neque enim vos conſueviſtis prædicere, ſi cui bellum vultis inferre. Itaque ne vos malè habeat, ſi contra Lacones uſus ſum Laconico ſtratagemate. *Polyæn. lib. 6.*

Corcyrenſes bello Peloponneſiaco ſeditione agitati ſunt, cùm plebs Athenienſibus opitulantes Spartanis faverent. Pulſi inde optimates, Hiſtone monte occupato, plebem aſſiduis excurſionibus infeſtabant. Athenienſes cum claſſe eos ſubitò adorti, ea conditione in fidem receperunt, ut traditis armis, in Ptychia inſula tandiu ſub cuſtodia eſſent, quoad Athenienſis populus de exulibus, quod fieri placeret, ſuffragio decreviſſet: interim fides violati videretur, ſi quis inde moliretur fugam. Corcyrenſes veriti, ne quid Athenis mitius de exulibus ſtatueretur, ſubornarunt qui eos occultè adirent, ibique, velut hoſpitali jure impulſi, monerent, ut fuga ſibi ſalutem quærerent: compertum habere ſe Athenis latum ſuffragium, ut exules, qui in Ptychia inſula ſub cuſto- C dia eſſent, Corcyrenſibus ad ſupplicium dederentur. Res in tanta animorum conſternatione credita eſt: navigiumque temerè adepti, quum cuſtodia elapſi navi in altum abiiſſent, ab iis, qui ad hoc ipſum præmiſſi fuerant, intercepti, Athenienſium ducibus, nullo alio ex urbe decreto expectato, Corcyrenſi populo, quia fidem violaſſent, ad necem dediti fuere crudeliſſimam. *Sabell. lib. 6. & 7. En. 3.*

Maximus Romanorum legatus in Britannia, cum Pictis, quibus ſociis Scoti bellum adverſus Romanos gerebant, fœdus icit, ut Scotorum primò, deinde Pictorum gentem perderet. Eugenium Regem Scotorum prælio victum occidit, ejuſque gentem multis incommodis profligatam Albione expulit, totiuſque inſulæ regnum occupavit. Pictos inde contra fidem ſacramenti in fœdiſſimam adegit ſervitutem. *H. Boet. lib. 7.*

Eludendo.

☞ *Vide Tit. Aſtus in Fœdere, Iudiciis, Pactis.*

Andronicus Comnenus tyrannus Nicæam, quæ defecerat, oppugnabat. Cæterùm quia cives duce Iſaacio Angelo, qui poſt imperium occupavit, fortiter reſiſtebant: ma- D trem Iſaaci Angeli Euphroſynam, Byzantio accerſitam, nunc ut propugnaculum machinis oppoſuit, nunc ea arieti impoſita mœnia feriit. Cives tela æquè ac priùs, ſed tanta cautione jaciebant, ut illæſa nobili muliere, quaſi illa nutibus & manibus jacula à ſe averſa in hoſtium corda refigeret, hoſtes & ferirentur & terrerentur. Mox noctu machinas incenderunt, & mulierem fune in urbem attraxerunt. *Nicetas lib. 1.*

Terrendo.

Hungari diem prælii avidiſſimè expectant, & ut magis hoſtibus terriculamento ſint, interfectorum ſanguinem bibunt. *Luitprandus lib. 2. cap. 1.*

Poloni Tartaros anno 1240. ad Legniciam commiſſo prælio, graviter urgebant, & fugientibus inſtabant. Erat in extremo Tartarorum agmine inter alia ſigna vexillum inſigne, cujus pictura X. literæ figuram præferebat: in cuſpide verò imago erat tetra nigraque capitis humani barbari. Id vexillum cum ſignifer vehementer quateret, fumum atque nebulam denſiſſimam & fœtidiſſimam exhalabat. Ea nebula non modò aſpectum barbarorum Polonis adimebat, verùm etiam odore teterrimo eos enecabat. Incantationibus E id quibuſdam Tartari effecerant, quibus juxta ac ariolationibus atque divinationibus cæteris, cum aliàs, tum in bello, plurimùm utuntur, ex humanis etiam extis de futuris eventibus conjectare ſoliti. Barbari, ubi Polonos trepidare ſenſerunt, cohortati ſeſe invicem, impreſſionem in eos faciunt: in qua Pompo magiſter Cruciferorum cum fortiſſimis quibuſque ſuorum occubuit. Tantus eo prælio interfectorum Chriſtianorum numerus fuit, ut ſingulis ſingulæ auriculæ à Tartaris præciſæ, novem ingentes ſaccos explerent. *Crom. lib. 7.*

Tamberlanes Scytharum Imperator ſæviſſimus, cùm urbes obſideret, prima die tentorio albo utebatur, ſecunda rubeo, tertia nigro: ut hac ratione ad deditionem hoſtes compelleret, quòd ſi prima die ſe dederent, clementem habituri eſſent hoſtem: ſi ad ſecundam uſque pertinaces reſiſterent, ſanguine ſuo pœnas daturi eſſent: ſi ad tertiam quoque perdurarent, ultimo excidio omnia fumo ac igni vaſtaturus eſſet. *Cuſp.*

Caroli IIX. Galliæ regis exercitus adverſus Aragonios ductus, ad Montem S. Joannis, Piſcariæ Marchionis op- F pidum, regno Neapolitano finitimum, & ſitu & arte munitiſſimum, neque defenſoribus minùs inſtructum, progreſſus, eo paucis horis tormentorum globis petito, tanta vi ac pertinacia rege, qui Verulis eò ſe contulerat, ſpectante oppugnavit, ut omnibus difficultatibus ſuperatis, idem eodem die expugnaverit, ubi cum inſito à natura furore, tum ut hoc exemplo alios à reſiſtendo deterreret, ingentem ſtragem edidit. Cùm omni reliqua barbara feritate uſi eſſent Galli, flammis quoque in ædificia ſævierunt, qui belligerandi mos multis rettò ſęculis inauditus in Italia, totum regnum incredibili terrore complevit, ut nemo deinceps auſus fuerit ſe Gallis opponere. *Guicciard. lib. 1.*

Ferdinandus Neapolitanus rex, procerum Galliæ factionis ſtudioſorum cadavera ſiccata & condita adſervari & oſtentari voluit, ut eo exemplo paria timerent, qui ſervire nollent. *Iovius lib. 1.*

ASTUTIA CONSIDERATA RESPECTU

Rerum Circa Quas Occupatur.

Puta circa G

RELIGIONEM, ASTUTE

Religionem

Alienam Impugnare, coercere, evertere.

Nero Imp. ut Roman. populum concitatiorem in Chriſtianos redderet, tale facinus comminiſcitur. Seu deformitate veterum ædificiorum offenſus, ſive, uti quidam ferunt, cupidus Trojæ ardentis ſimulacrum videre, magnam urbis partem incendit. Sex continuos dies ac totidem noctes ignis per ædificia ſacra & profana pervadens, multas civium fortunas abſumpſit. Ad levandam igitur ſceleris atrocitatem ſubornavit, qui Chriſtianos ejus incendii auctores criminarentur. *Cornelius Tacitus.*

Diocletianus Imperat. cùm univerſam Chriſtianam religionem ſimul extinguere ſibi propoſuiſſet, perſecutionem atrociſſimam in Oriente (uti Maximianus in Occidente) inſidiosè admodùm & dolosè orſus eſt. Periculum enim primùm in propriis fecit caſtris, in quibus inſtrator exercitus, ut *Euſeb.* ſcribit *lib. 8. cap. 4.* optionem militibus H Chriſtianis eam obtulit, ut vel imperatorio mandato, quo jubebantur ſacrificare, obſequentes, dignitates retinerent, & ordines ducerent; vel recuſantes, militiam deponerent. Servis pietatem abjurantibus, præmium proponebatur libertas. Primo proſecutionis tempore, pauci tormentis & ſuppliciis tentati ſunt: paulatim deinde magis eò progreſſum eſt, ut ad enumeranda ſupplicia nullius ſermo ſufficere poſſit.

Sub Valerio Maximino, Chriſtianorum perſecutore, erat Athenis Theothecnus quidam, incantator, & Chriſtianorum hoſtis infenſiſſimus. Is omnem tum movit lapidem, ut Chriſtiani apud Imperatorem deferrentur & accuſarentur. In quam fraudem idolum Jovis, incantationibus ac præſtigiis ſuis, hæc verba ſonare fecit: Edicere Jovem, ut Chriſtiani in exilium extra civitatem, ac civitatis agros, tanquam ſibi inimici, expellantur. Impii magi aſtus ſub impio principe effectum facilè obtinuit. *Euſeb. lib. 8.*

Sub Decio & Valeriano perſecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, Cyprian. Carthagine, damnati ſunt, mul-

A tas apud Ægyptum & Thebaidem Eccleſias tempeſtas ſæva populata eſt. Voti tunc Chriſtianis erat, pro Chriſti nomine gladio percuti. Verùm hoſtis callidus tarda ad mortem ſupplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora; & Cyprianus ait, Volentibus mori non permittebatur occidi. Perſeverantem in fide martyrem, & inter eculeos, laminaſque victorem, juſſit melle perungi, & ſub ardentiſſimo ſole, ligatis manibus poſt tergum, reſupinari, ſcilicet ut muſcarum aculeis cederet, qui ignitas ſartagines antè ſuperaſſet. Alium juvenili ætate florentem, in amœniſſimos hortulos præcepit abduci: ibique inter lilia candentia & rubentes roſas, cùm leni juxta murmure aquarum ſerperet rivus, & molli ſibilo arborum folia ventus perſtringeret, ſuper extructum plumis lectum reſupinari, & ne ſe inde poſſet excutere, blandis ſerico nexibus irretitum relinqui. Quò cùm, recedentibus cunctis, meretrix ſpecioſa veniſſet, cœpit delicatis ſtringere colla complexibus, & quod dictu quoque ſcelus eſt, manibus attrectare virilia, ut corpore in libidinem concitato, ſe victrix impudica ſuperjaceret. Quid ageret miles Chriſti, & quò ſe verteret, neſciebat: quem tor- B menta non vicerant, ſuperabat voluptas. Tandem cœlitùs inſpiratus, præciſam morſu linguam in oſculantis faciem expuit: ac ſic libidinis ſenſum ſuccedens doloris magnitudo ſuperavit. *Hieron. in vita Paul. Eremitæ.*

Maximinus Sacerdotes idolorum & Pontifices ſummos per ſingulas civitates conſtituit, ut nihil non contra Chriſtianos ad ſuam voluntatem & gratiam facerent: ac novis adverſus eos excogitatis accuſationibus, liberrimè quoſcumque poſſent, quovis modo interficerent. Illi igitur acta quædam Pilati & Servatoris blaſphemiæ plena confinxere, & in univerſum Maximini imperium miſere, litteris mandantes, ut ubivis illa locorum proponerentur: ludimagiſteria denique exhiberentur, ut ad ea memoriæ mandanda pueros adigerent, uti teſtatur *Niceph. lib. 7. cap. 26. Eccleſ. Hiſt.* Præfectus quidam Caſtrorum, quem ducem Romani vocant, Damaſci Phœniciæ infames aliquot è foro raptas mulieres, partim tormentis, partim minis eò adduxit, ut ſcripto tradito publicè dicerent, fuiſſe ſe aliquando Chriſtianas, ac noſſe, quas ſceleſtas & laſcivas actiones Chriſtiani Dominicis diebus inter ſe exercere ſolerent. Præfectus ea ver- C ba in acta relata Imperatori exhibuit: is publicari ea per ſingulas civitates mandavit. *Euſeb. lib. 8.*

Narrat *Niceph. lib. 7. cap. 35.* Græcos idololatras Conſtantinum Magnum, quòd filium ſuum manu propria occidiſſet, calumniatos eſſe. *Sozomen. lib. 4. c. 10.* indicat, Ethnicos Athanaſium criminatos eſſe, quòd incantationibus uſus futura præſciret. Et *Theod. lib. 2. c. 5.* Gentes ſcurrilitate & dicteriis in pios invectos eſſe, neque ullis in pompis ſibi à conviciis temperaſſe: verùm Chriſtianos non conviciis cum illis certaſſe, ſed apertè errores eorum redarguiſſe, commemorat. Criminationes verò has ferè contexebant: Chriſtianorum religionem novam eſſe, & nuper admodum natam, quam majores omnes ignorarint. Ejus inventores & aſſertores eſſe homines deſperatæ factionis. Cœtus Chriſtianorum eſſe collectos ex ultima fæce imperitorum & mulierum, qui nocturnis congregationibus, & jejuniis ſolemnibus, & inhumanis cibis confœderarentur, in publico muti, in angulo garruli. Eos ſeſe occultis notis noſcere. Inter eos quamquam libidinum religionem miſceri, & ſe promiſcuè fratres appellare & ſorores, & interceſſione ſa- D cri nominis committere inceſtum. Vulgò ferri, eos aſini caput conſecratum venerari. Alios dicere, eos ſacerdotis colere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare naturam. Hominem ſupplicio affectum colere. Initiandis apponi farre contectum, quem occultis vulneribus occidant, & ſitientes ſanguinem ejus lambant. Ad epulas ſolemni die coire cum omnibus liberis, ſororibus, matribus, ſexus omnis homines, & omnis ætatis. Poſt multas epulas, canis, qui candelabro nexus eſt, jactu offulæ ultra ſpatium lineæ, qua victus eſt, ad impetum & ſaltum provocatur. Extincto conſcio lumine, impudentibus tenebris, nexu infandæ cupiditatis involvi per incertum ſortis, & ſi non omnes opera, tamen conſcientia pariter committere inceſtum. Religionem eorum obſcuram eſſe & nullas aras habere, nulla templa, nulla nota ſimulacra. Doctrinam eorum planè monſtroſam eſſe & abſurdam. Nam de Deo eos ſentire, quòd omnium mores & actus, verba denique & occultas cogitationes diligenter inquirat, & ubique diſcurrat & præſtò ſit: cùm id Deum non deceat, ut moleſtias ſuſtineat, & inquietus ſit, & curioſus. De mundo eos docere, quòd incendio ſit conflagraturus. Culpam vel innocentiam eos Deo attri- E buere, ut qui ſpontaneos non cupiat, ſed electos; eoque Deum injuſtum judicem fingi, qui ſortem in hominibus puniat, & non voluntatem. De reſurrectione aniles fabulas eos adſtruere, cùm tamen planè ſit abſurdum, aſtris denunciare interitum, & ſibi æternitatem repromittere; & cùm nulla ratione poſſit explicari, ſive fingatur reſurrectio cum corpore, ſive ſine corpore, ſive cũ alio corpore, quòd reſuſcitatio mortuorum fieri poſſit, & cùm in tot ſæculis quæ effluxerunt, nullus ab inferis remeaverit, nullo exẽplo credi poſſit. De vita æterna eos fabulari, quòd ipſi ſint bonis fruituri, aliis injuſtis in æternas pœnas abjectis: cùm tamen neque in hac vita benè habeant, ſed ſint omnium calamitoſiſſimi. Unde conſtat, Deum ipſorum aut non poſſe iis opitulari, aut non velle: atque ita eum vel invalidum, vel iniquum eſſe. Sacram ſcripturam eſſe perplexitatibus, & contradictionibus plenam, ideòque incerta omnia. Hac calumnia uſum Julianum & Porphyrium, Socrates indicat: Chriſtianiſmum omnis generis calamitates publicas ſecum afferre. Deos enim eos punire, quòd hominem credant eſſe Deum, eumque poſt crucis ſupplicium adhuc ſupereſſe dicant, & F adorent. *Euſeb. Sozom. Socrates.* Has criminationes omnes *Arnobius in lib. contra Gentes* præclarè diluit.

Julianus Imp. Apoſtata, cùm crudelitate Chriſtianam religionem extirpari non poſſe videret, blandis artibus eam oppugnare aggreſſus eſt. Primùm igitur Galilæorum filiis (quo nomine Chriſtianos vocitabat) interdixit, ne poetarum aut philoſophorum ſcripta legerent, in ore illud habens: Propriis pennis vulneramur: ex noſtris enim armati conſcriptionibus, contra nos bella movent. Ludos igitur litterarum illis ſolis, qui Deos deaſque colerent, patere permiſit. *Ruffin. lib. c. 32.* Deinde calidiſſimo commento, omnia quæ in paganiſmo eſſent, ad Chriſtianorum cultum, mores, actiones, ritus, conſuetudines attemperavit: templa ſedibus & proceſſionibus ornavit: lectores, qui cœtus docerent, & moverent, inſtituit: horas certas precationibus deſtinavit: mulierum pariter atque virorum in ſacris ſuis haberi curam juſſit: peregrinorum diverſoria & pauperum habitacula inſtruxit, collationes præcepit, peccantibus pœnitentiæ leges ordinavit, & poſt eam, mediocrem correptionem & receptionem. Notas denique & formas literarum, quas Epiſco- G pi Chriſtianorum pauperibus & peregrinis dabant, ipſe quoque imitabatur, perſuadens ſibi, his artibus & novo fuco ſe effecturũ, ut pagani brevi omnes fierent. *Eutrop. l. 11. Soz. l. 5. c. 16.* Exornavit imagines & tẽpla imperii ſui, Deorum ſimulacris. In publica munerum & conſueta exhibitione, ad manus ſuas thus adolere, munera accepturos, inſtituit: non religionis nomine, ſed in gratiam Imperatoris munera benignè exhibentis. *Eutrop. Theod. lib. 3. cap. 16. & Sozomen. lib. 5. cap. 17.* A tormentis & atrocioribus coactionibus abſtinendum putavit, quòd ſuppliciis & tormentis Chriſtianorum res ante ſe magis fuiſſent amplificatæ, ipſique glorioſiores facti; quod ex Diocletiani extrema perſecutione didicerat. *Socrat. l. 3. c. 13. Theod. l. 3. cap. 8.* Judæos Chriſtianorum hoſtes pertinaciſſimos ad templum Hieroſolymitanum rurſus ædificandum hortatus eſt, ut mendacii Chriſtum Opt. Max. argueret, qui lapidem ſupra lapidem non manſurum aſſeruiſſet. *Niceph. lib. 10. cap. 32. & 33.*

Habdailas Saracen. Rex, Amiras Chriſtianos ſub ſuo principatu degentes, literas diſcere prohibuit. *Paul. Diac. l. 22.*

Orthodoxi confeſſores, ab Hunerico rege Vandalorum H Ariano crudeliſſimo ad certum locum vocati, juſſi fuere jurare in chartam involutam & complicatam: propoſito præmio reſtitutionis Eccleſiarum, familiarum & opum ſuarum. Verùm uno ore & ſpiritu univerſi exclamabant: Et diximus, & dicimus, & Deo dante dicturi ſumus, eſſe nos Chriſtianos Eccleſiæ miniſtros, qui fidem Apoſtolicam unam & ſolam novimus veram, eamque confitemur. Sed & Hortulanus & Florentinianus Epiſcopi, reliquorum omnium nomine addiderunt: Nunquid mentis uſque adeò parùm ſanæ videmur, ut in rem nobis ignotam juremus temerè? Quibus verò à rege negotium datum fuerat, cœtui fucum facere volentes, partem ejus ſcripti publicè recitarunt, eam nimirùm, quæ minus habebat offenſionis, quòd eſſet quiddam politicum: eam verò quæ doctrinæ fidei inſidias parabat, occultabant. Hoc artificio nonnullis impoſuerunt, qui jurare velle viſi ſunt, pia quadam ſimplicitate decepti, ne ipſis hæreret culpa, quò minùs Eccleſiis ſui redderentur paſtores, & ſatius eſſe arbitrantes, aliquam, quàm prorſus nullam eſſe Eccleſiam. Nonnulli verò, quòd fraudem ſubeſſe animadvertent, jurare omninò recuſarunt. A *Victor.*

Leo V. Imp. monacho cuidam, qui multò antè ſibi regnum prædixerat, dona miſit regia. Nuncius qui detulit, alium quemdam, locum illius jam defuncti occupantem, reperit, imaginum acerrimum hoſtem. Qui & dona ſprevit, & nuncium abs ſe rejecit; Abi, inquiens, & regi tuo nuncia, niſi idola venerari deſinat, & regno, & vita mox privatum iri. Rex ad religionem alioqui mobilis, Meliſeno Theodoto, ſibi familiariſſimo, negotium communicat, qui & ipſe imagines perſequebatur. Is regi perſuadet, ut monachum quendam, virum religioſum & ſanctum, habitu mutato, adeat atque conſulat. Monachus mox ut regem vidit: Noli, inquit, me ſimplicem virum fallere, qui tuam regiam agnoſco dignitatem, licèt habitu eam celes. Idololatriam abs te dimove: alioqui imperio decides ſumma cum ignominia, & gehennæ ſupplicio cruciaberis perpetuo. Rex quia ignorabat Theodoti commentum, & ſanctitatem monachi ſuſpiciebat: verbis ejus motus, ſtatim contra ſanctorum imagines edictum propoſuit, & abolitionem earum- B dem decrevit. *Cuſpinianus.*

Suam Propagare.

Balaam docuit Balach regem, quomodo per mulieres poſſet Iſraelitas ad idololatriæ peccatum trahere, & Dominum contra illos ad iram provocare. *Num. 23. & 24.*

Sacerdotes Bethel, imò fanatici Bethaven, temporibus Paſchæ & Pentecoſtes, & Scenopegiæ, quando per Sichem, quæ hodie Neapolis appellatur, eundum erat Hieroſolymam, ubi ſolùm licebat victimas immolare, ponebant in itinere latrones, qui inſidiarentur peregrinantibus, ut potiùs vitulos aureos in Dan & in Bethaven, quàm Hieroſolymis in templo adorarent Deum. *Hieron. lib. 2. in Oſee c. 7.*

Septuaginta Beli Sacerdotes ſub Ciro rege, cum Belo idolo quotidie ſiliginis artabas 12. oves 40. vini metretas ſex proponerent, clauſo inde & obſignato templo, per occultum aditum ſub ara ingrediebantur, & omnia cum ſuis liberis & uxoribus abſumebant, deum ea comediſſe dicentes. At dolus per Danielem, qui pavimentum cinere conſperſerat, in quo veſtigia ſeniorum & juniorum apparuerunt, detectus C fuit. *Daniel. 14.*

Qui apud Græcos, id eſt, homines profanos & Chriſtianæ religionis ignaros, ſimulacra inſtituunt, quo terrorem hominibus incutiant, ſtatuas διοπετεῖς, id eſt, à Jove miſſas eſſe, omni humano artificio & ſumptu præſtantiores dicunt, eamque famam ſpargunt, ſtatuariis vel relegatis vel occiſis, ne eas manu factas dicant. Eadem ratione urbem Epheſiorum etiam eſſe deceptam, vel Alexandrinum ſimulacrum argumento eſſe poteſt. Ptolomæus etiam artificibus ad conficiendam Dianæ ſtatuam convocatis, opere perfecto, magna ſpelunca effoſſa, doloque occultato, ibi eoſdem cœnare juſſit. Qua in cœna ruina oppreſſi perierunt, dignam laboris ſui mercedem conſecuti. *Suidas in voce διοπετής.*

Æſculapium dicunt quidam non ex Nympha Coronide natum, ſed ex ovo corniculæ, quia κορωνὶς utrumque ſignificat, & Nympham ita vocatam, & corniculam, ut aſſerit Lucianus in dialogo de falſo Vate. Fertur quidam ex antiquis ſacerdotibus ſerpentem perexiguum in ovum vacuum corniculæ incluſiſſe, ceraque ſtudioſè oblitum luto in loco quodam occultaſſe, mox ara extructa populum in concio- D nem ad eum locum advocaſſe, cùm nunciaret omnibus palam, ſe deum eſſe oſtenſurum. Poſt concionem incognitis quibuſdam vocibus uſus, Apollinem & Æſculapium invocavit, ut dexter ac felix illi civitati accederet. Deinde phiala aquam hauriens, in profundum demerſa, ovum illud una cepit, quod præſentibus multis fregit, pullumque recentem ſerpentis inveniens, cunctos homines in admirationem rei induxit. Poſtea verò ſerpentem inſignis magnitudinis paucis diebus elapſis in loco ſubobſcuro oſtendens, artificioſè ſe moventem, illum ita creviſſe ajebat, ac deum eſſe Æſculapium Apollinis filium. Inde verò ſerpentes in ejus tutela crediti ſunt, & ejus geſtamen putatus fuit baculus ſerpente involutus, ut ſcripſit *Dercylus, & Ovid. l. 15. Metamorph. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 11.*

Numa Pompilius. ☞ *Quære in fine inter Apophthegm.*

In templo Seraphis apud Ægyptios ſumptuoſiſſimo erat quædam ara, ad ſtuporem admirationemque videntium, dolis & arte compoſita. Feneſtra perexigua ab ortu Solis ita erat aptata, ut die, qua fuerat inſtitutum, ſimulacrum Solis ad Seraphin ſalutandum introferri, diligenter temporibus obſervatis, ingrediente ſimulacro, radius Solis per eandem E feneſtram directus, os & labra Seraphis illuſtraret, ita ut inſpectante populo, oſculo ſalutatus Seraphis videretur à Sole. Erat & aliud fraudis genus hujuſmodi. Natura lapidis magnetis hujus virtutis eſſe perhibetur, ut ad ſe rapiat, & attrahat ferrum. Signum Solis (quadriga ſcilicet ferrea) ad hoc ipſum ex ferro ſubtiliſſimo manu artificis fuerat fabricatum, ut lapis, cujus naturam ferrum ad ſe trahere diximus, deſuper in laquearibus fixus, cùm temperatè ſub ipſo radio ad libram fuiſſet poſitum ſimulacrum, & vi naturali ad ſe raperet ferrum, aſſurrexiſſe populo ſimulacrum, & in aere pendere videretur. Et ne hoc lapſu propero proderetur miniſtri fallacia: Surrexit (ajebant) Sol, ut vale dicens Seraphi diſcedat ad propria. *Ruffinus lib. 2. cap. 23. & Proſper in tertia parte promiſſionum & prædictionum Dei, promiſſ. 38. & Suidas in voce, Magnes lapis.*

Julianus Apoſtata fontes omnes, quibus in ipſa Daphane & contigua Antiochia homines utebantur, ſacris ſuis abominandis inquinavit: ut ſic abominatio cum illis communicaretur, qui aquis eorum fontium uterentur. Quin & eò impietatis proceſſit, ut quæ eſui eſſent, & in macello venderen- F tur, omnes panes ſcilicet, carnes, fructus, olera, ac ſi quid amplius quotidiana victus ratio exigit, luſtratione pollueret. Quod Chriſtiani magno cum dolore ſpectarunt, & ut facinus infinitis modis impium, & nefandum execrati ſunt: uti tamen pollutis illis rebus non dubitabant, quia Paulus edere juſſiſſet abſque diſcrimine propter ſcientiam, quicquid in macello venale eſſet. *Theod. lib. 3. cap. 15.*

Hæretici quò faciliùs utriuſque ſexus ſimplices homines in errorem ducerent, ſocias mulieres ſibi adjunxerunt, quarum conſiliis & oraculis ſeſe uti profitebantur. Simon magus Helenam (quam Ennæam Selenen aliàs vocabat) Carpocrates, Gnoſticorum princeps, Marcellinam, Apelles & Severus Philumenam, atque alii alias. *Hieron.*

Hæreticorum diverſæ fuerunt ſpecies, ſed ratio ferè una ut ab eodem auctore diabolo omnes manaſſe vel hinc colligi poſſit. Nam cùm id ageret aſtutiſſimus dæmon, ut ſub Chriſtianiſmi prætextu antichriſtianiſmum conſtitueret, id unum ſategit, ut quæcumque ipſe ſuis inſtillaret diſcipulis impietatis & perfidiæ dogmata, ea à paracleto Spiritu, quem Chriſtus ſe ſuis miſſurum promiſerat, viderentur profecta G omnia. Sic certè Montanus, teſte *Euſeb. l. 5. Eccleſ. hiſt. cap. 18.* Paracletum ſe profiteri non erubuit: eodemque argumento Manes ſuis Manichæis hæreſin ſuam perſuaſit, quemadmodum *Aug. l. 32. c. 6. contra Fauſtum* docet. Horum furores pari audacia, majore ſucceſſu, imitatus Mahometus, non modò ſe Moſaicæ & Chriſtianæ legis correctorem profeſſus eſt, ſed blaſphemiam quoque mendacio addidit: in omnibus locis Euangelii, ubi Paracleti nomen legitur, quem à Patre ſeſe impetraturum Chriſtus pollicetur, qui pios in omnem veritatem deducturus ſit, ibi Mahometi nomen fuiſſe pronuntiatum à Chriſto dictans, & ab Euangeliſtis bona fide ſcriptum. Cæterùm Chriſtianos Græcos invidentes tantam gloriam Arabibus, Mahometi nomine eraſo, paſſim Paracleti ſubſtituiſſe.

S. Cypriani martyris ſolet omne Epiſtolarum corpus in uno codice ſcribi. Huic corpori Hæretici quidam, qui in Spiritum ſanctum blaſphemant, Tertulliani libellum de Trinitate malè ſcriptum inſerentes, & quamplurimos codices exſcribentes, per totam Conſtantinopolim diſtrahi pretio viliori fecerunt, ut exiguitate pretii homines allecti, igno- H tos & latentes dolos faciliùs compararent. Quidam tamen ex Catholicis admiſſi ſceleris commiſſa retexerunt, & quos potuere, ab erroris hujus laqueis revocarunt. Etſi quamplurimi, Cyprianum ejus fidei, quæ à Tertulliano non rectè ſcripta eſt, aſſeclam fuiſſe crediderint. *Ruffinus in Apologia pro Origene.*

Damaſus Romanus Epiſcopus, cum de recipiendis Apollinariſtis deliberatio haberetur, editionem Eccleſiaſticæ fidei, cui ſubſcribere deberent, conſcribendam pro more mandavit cuidam amico ſuo presbytero. Neceſſarium viſum eſt dictanti, in ipſa editione de incarnatione Domini, Hominem Dominicum dici. Offenſis hoc ſermone Apollinariſtis, & novitatem ſermonibus incuſantibus, ille auctoritate ſcriptorum catholicorum eos confutavit, præſertim libello Athanaſii Epiſcopi. Tum adverſariorum unus, quaſi perſuaſus jam, rogavit ſibi dari codicem, quò & aliis ignorantibus & contradicentibus ſatisfaceret. Accepto codice, locum ipſum, in quo ſermo iſte erat ſcriptus, raſit, & verba reſcripſit, quæ raſerat. Codex redditus ſim-

A ſimpliciter receptus eſt. Movetur iterùm pro eodem ſermone quæſtio. Ad probationem codex profertur: invenitur ſermo, de quo erat quæſtio, ex litura in codice poſitus. Fides proinde codici derogata fuit, eò quòd litura illa corruptionis ac falſitatis videretur indicium. *Ruffinus in Apologia pro Origene*. Cum inter Græcos & Latinos Theologos in Concilio Florentino diſceptatio ſuborta eſſet de proceſſione Spiritus ſancti, & à Patre Filioque eum procedere convincendi eſſent Græci ſuiipſorum Theologis, Athanaſio, Cyrillo, Didymo, Chryſoſtomo, & imprimis Baſilio Magno: cùm à noſtris eorum exemplaria proferrentur, Byzantio allata, ubi legebatur, ab utroque Spiritum ſanctum procedere: Græci exemplaria vitioſa eſſe dictitabant. Sua ipſos noſtri promere jubebant: aliquot propoſuere, ſed ea variæ lectionis: alia à Patre Filioque procedere teſtabantur, alia à Patre, nec præterea quicquam addebant: Cæſarque Palæologus multa ſe in Græcia ejuſmodi habere dicebat. *Æmilius lib.* 10.

Conſtantia, Licinii uxor, cùm à fratre Conſtantino Magno morbo oppreſſa iterùm ac ſæpiùs viſeretur: Presbyte-
B rum illi quendam Arianum, quo cum ſibi magna familiaritas interceſſerat, inſignis pietatis & egregiæ fidei nomine commendavit, atque inde vitam deſtituit. Presbyter Conſtantię commendatione Conſtantini familiaritatem adeptus Euſebii Nicomedienſis Epiſcopi impulſu, ipſum monere Conſtantinum non dubitavit, Arium inſigni injuria fuiſſe affectum, quòd, cùm rectè ſentiret, Eccleſiæ communione ſecretus eſſet. Mirante autem Conſtantino, ac dicta ejus nutu magis, quàm oratione rejiciente, profeſſus eſt, ipſum, ſi ad colloquium ejus admiſſus eſſet, planum facturum, quàm minimùm Nicenis decretis ac ſententiis diſcreparet. Quo audito Conſtantinus: Atqui ſi Arius, inquit, cùm Concilio ſentiet, non modò meum illum in conſpectum admittam, verùm etiam ad Eccleſiam ſuam dimittam; atque ita advocari Arium juſſit. Arius ad eum Conſtantinopolim venit, ac ſecum Euzojum diaconum, quem eadem de cauſa Alexander Epiſcopus Alexandrinus abdicarat, adduxit: rogatique ambo, ut formulam fidei ſuæ cum Nicena congruentem proferrent: Chriſtum Dei filium ex ipſo ante omnia ſæcula genitum, verbo *conſubſtantiali* omiſſo, confeſſi
C ſunt. Qua profeſſione audita, Conſtantinus eos tanquam minimè à Concilii ſententia diſſidentes, Alexandriam juſſit repetere. *Sigonius l.*4. *Imp. occid.*

Ariminenſis ſynodus ſub Conſtantino Imp. Ariano ex 400. Epiſcopis coacta, anno Imperii Conſtantii 22. In qua Ariani Orientales ab Occidentalibus orthodoxis petierunt, concordiæ cauſa, ut ὁμοουσίου & ὁμοιουσίου vocabulo abolito, Filium Patri per omnia ſimilem eſſe dicerent, & οὐσίας nomen ut potè quod in Scripturis nuſpiam reperiretur, omninò abjiceretur. Conſenſere orthodoxi, pacis ſtudio, præſertim cùm Chriſti divinitati nihil hoc detrahere videretur. Omnes ergo, tanquam Eccleſiæ concordiâ reſtituta, læti in provincias abeunt; ſed tandem Ariani malitiam detexerunt. Valês enim Murſorum Epiſcopus, & Urſacius, Ariani, cœperunt palmas ſuas jactitare dicentes, ſe Filium non creaturam negaſſe, ſed ſimilem cæteris creaturis. Eſſe itaque Filium creaturam (abolito οὐσίας, vocabulo, quod ſoli Deo per ſe competat) ſed ſimilem penitùs Patri, & propterea Deum creatum, non autem per eſſentiam. Ingemuit totus orbis, ex οὐσίας vocabulo abolito. Nicenam fidem damnatam doluit, ſeque Arianum eſ-
D ſe miratus eſt. Nec multò tamen pòſt ſub Damaſo Romana ſynodus indicta, in qua Nicena fides confirmata fuit. *Socrates lib.*2. *cap.*37. *& Theodoret. lib.*2. *cap.*20. *&* 21.

In perſecutione Chriſtanorum ſub Hunerico Vandalorum rege cum Epiſcopi celebres orthodoxi, Eugenius, Vindemialis & Longinus, virtutibus & donis ſanationum clarerent: invidens eorum famæ & auctoritati, quam venerabantur omnes, Cyrola Arianorum Epiſcopus, nec non ut ſe celebrem facto aliquo mirando redderet, hominem conduxit quinquaginta aureis, qui innatam ſe prætereunte cæcitatem ſimulans, opem ejus in hanc ſententiam imploraret: Quæſo te beatiſſime Cyrola, religionis noſtræ antiſtes, ut reſpiciens edas exemplum gloriæ ac virtutis tuæ, meoſque adaperias oculos. Accedit ad eum Cyrola hæreticus, fucum ſibi ſucceſſurum confidens, & admotis manibus ad oculos cæcum ſeſe mentientis: Secundum fidem, inquit, noſtram, qua rectè in Deum credimus, aperiantur oculi tui. Ad quæ verba dolor tantus oculos illius invaſit, ut digitis vi comprimere eos, ne creparent, cogeretur. Prodita itaque ad omnes compoſita fraude, hæreſique damnata, precibus ortodoxorum Vindemialis, Longini & Eugenii, dolore liberatus fuit. E *Gr. Tur. l.* 2. *cap.*3.

Narrat *Naucler. generatione* 14. duos rabinos Judæorum, nimirùm Rabinam & Rabaſſam, cum vidiſſent legem ſuam in dies deficere, & fidem Chriſti proficere: conſenſu omnium Judæorum Talmud librum majorem decem Bibliis, plenum inextricabilibus mendaciis, contra omnem legem divinam, naturæ, & ſcripturam ſacram, conſcripſiſſe, ac ſub pœna capitis editum, ne quis neget quicquam eorum quæ in eo dicantur. Factum ſub Honorio, anno Dom. 402. licèt *Io. Picus Mirandulanus ad* Commodi imperium, & annum Domini circiter 182. *aut* paulò ampliùs referat, *in Annotat. ſuis*.

Quidam Monachi Græci Romam venientes, nocturno ſilentio juxta Eccleſiam S. Pauli corpora mortuorum in campo jacentia effoderunt, atque eorum oſſa recondiderunt. Deprehenſi, confeſſi ſunt, quòd illa oſſa in Græciam fuerint tanquam ſanctorum reliquias portaturi. *Greg. Epiſt. l.*3. *cap.*30.

Heraclitus Imper. imprudens Monothelitarum hæreſi eſt imbutus. Hierapoli agens, Athanaſium patriarcham, ut vocabant, Jacobitarum, à quo conventus erat, rogavit, ut Con- F cilium Chalcedonenſe de duabus Chriſti naturis acciperet: pollicitus, ſi in officio fuiſſet, ſe illum patriarcham Antiochiæ creaturum. Athanaſius conditione accepta, dixit, Libenter ſe in ejus auctoritate futurum, ut duas in Chriſto naturas aſſereret: verùm illud aſtutè ab Imperatore quærere inſtituit, Num ut duæ naturæ, ſic duæ item voluntates atque actiones ineſſent? Heraclitus quæſtionis novitate permotus, ut reſponſum, cujus ipſe incertus erat, rejiceret, rem ad Sergium patriarcham Conſtantinopolis, & Cyrum Epiſcopum Phaſidis retulit; & cum conſtans ab utroque reſponſum accepiſſet, ut unam naturam, ſic unam in Chriſto voluntatem hærere: imprudens eorum opinionem ſuſcepit. *Sigon. l.*12. *regni Ital.*

Mahometus, ut faciliùs incautos ſua lege decipiat, nunc Chriſtianam probat legem, ſummiſque pręconiis effert, nunc Moſaicam. Atque ut his laudibus ineſcet Chriſtianos, in albo veſtitos nominat, ac unumquemque in ſua ſecta ſalvari planè aſſerit. Hæreticos quoſdam in componendis legibus imitatus, à ſacris codicibus & Euãgeliis multa excerpens, Alcoranum compoſuit. *Simoneta lib.*4. *cap.*34. 38. Atque eum G duorum hæreticorum profugatum, ſcilicet Sergii & Joannis Antiocheni, & duorum Judæorum Apoſtatarum opera in Alcorani conſcriptione uſum eſſe, Bibliander in Apologia indicat. Ut autem plus auctoritatis Alcorano ſuo compararet, finxit, cœlitùs eum eſſe ſibi datum. Jurat enim ſeſe in cœlum raptum, didiciſſe ſua myſteria, *in Azoara* 63. Per ſtellam veſpertinam cliens noſter, nullatenùs errans, nil ex proprio velle, niſi tantùm divinitùs ſibi mandatum, loquitur: qui ſublevatus ad Orizontis celſitudinem, ad Deum ipſum inſtruentem illum atque docentem efficaciter, acceſſit: tanti tamen ſpacii intervallo, quantum ſagitta arcu miſſa bis tranſcurreret. Qui tunc præcepta Deum ſibi dicentem audiens, animum minimè dubitantem inde tulit, uti nec vos eum de divina viſione calumniemini. Et *Azoara* 27. fingit, Deum teſtari, quòd Mahometum ad templum longinquũ noctu trãſtulerit, & de virtutibus & mirabilibus edocuerit. In legum promulgatione columba arte aſſuefacta advolavit, & humeris ejus inſidens, grana ex aure ejus legit: qua re dementati homines Spiritum ſanctum ei leges dictare nugati ſunt. Edictum promulgavit, quo ſub pœna capitis H vetuit, ne quis de ſuis legibus diſputaret, ambigeret, aut contenderet: ac juſſit, omnes in auctoritate dictatoris acquieſcere. *Vincentius lib.*23. Crevit ſecta Saracenorum licentia vitiorum: placuit uxores ducere, quot vellent, eaſdemque dimittere, cùm diſplicere cœpiſſent: habere concubinas quamplures, & in omnes libidinis genus poſſe provolvi: indulgere ventri cuncta quæ vellent, & ori, præter vinum: univerſis immergi voluptatibus. Etſi etiam aliqua jejunia in lege Mahometi præcipiuntur, id tamen ad irritandam voluptatem factum eſt. Nam Saraceni diem jejunantes, nocte quàm longa eſt, epulantur & bibunt. Nec aliam ob cauſam vini uſus interdictus eſt, niſi quia noceret in ardenti terra, qualis eſt Arabia, & major eſſet in frigidis voluptas poculis. Hoc unum ergo Mahometi inventum fuit, ut legem propagaret ſuam, ea pręcipiens, quæ grata eſſent auditoribus, & maximè plebibus, quæ jumentis ſimiles exiſtunt, Nec fefellit eũ opinio in hac parte. Placuit nova lex, & brevi tempore ita coaluit, ut in multis populis, gentibus ac linguis reciperetur, cujus fundamenta in voluptate jacta fuerunt.

Verùm

A Verùm ſicut agricola non imprudens, poſtquam vineam plantavit, foſſam circunducit ſeptam, ne deſtruatur à feris: ita & Mahometus ſuam legem conſervare ac munire ſtatuit. Animadvertit homo ſagax, duobus modis ſuum dogma convelli poſſe, atque confundi, auctoritate ſcilicet & ratione. Ergo auctoritati hoc axioma, Antiquam Moſis & novam Chriſti legem depravatam eſſe, nec quicquam veri reſtare, niſi quod Alcoranus haberet: rationi arma objecit, jubens ne quiſpiam de ſua lege diſputaret, neve rationem quæreret: in eum qui contra niteretur, ferro vindicandum eſſe. Atque hujuſmodi vallo ſuam legem callidus veterator communivit. *Æneas Sylv. epiſt.*396. *ad Mahumetum tyrannum*.

Cùm Huſſitæ in montem Tabor ad quintum à Praga lapidem, ex viris mulieribuſque & pueris turba miſcellanea, ad quadraginta millia hominum ſeceſſiſſent, facta ibidem mentio Regis novi creandi à ceremoniis ipſorum minimè diſſentientis. Sed illam mox Coranda ejuſmodi verbis diſcuſſit: Regem Venceslaum, inquit, habemus & non habemus: vocabulo quidem Rex eſt, qui modò regnat, poteſtate autem tantidem valet, quanti pictum in pariete ſimula-
B crum. Idque utrumque rationibus noſtris maximè conducit, ſi modò confirmare ſectam noſtram cupimus. Primùm enim ex titulo Regis Romanorum magnum robur nobis accedit adverſus factionem Romanam, quæ nihil contra Boemos attentare audet, quòd videt Regem ſtare à religione ipſius. Nobis autem quantulum obeſſe poteſt Rex, qui vivens mortuus eſt? At ſi nobis ex privatis Rex aliquis exiſtat, & interim aliquid vel domi, vel foris ingruat, talis neque noſtris, propter virium imbecillitatem, conſulere poterit. *Dubr. lib.*2.

Ulphlias Veſtgothorũ in Thracia primus Epiſcopus Arianus à Valente Imp. factus, ut ſuam impietatem ſtabiliret, primùm omnium divinarum literarum theſaurum in Gothicam linguam transfudit, immixto quod imbiberat pernicioſo veneno. Scripſit hoc pernicioſum dogma in omnem Gothicam nationem. Enimverò Veſtgothi Ariani effecti, Oſtrogothos & Gepidas congentiles ſuos fermento, quod exſuxerant, corruperunt. *Ioan. Magnus lib.*17. *cap.*1.

In Perſidis regno tyrannus quidam Aloadim, Senex de montanis dictus, Muletam regionem occupavit, & multos
C ſicarios (quos vulgò Aſſaſſinos dixere) ſibi adjunxit, eoſque ad maxima facinora patranda obedientiſſimos reddidit, tali aſtu. In valle quadam amœniſſima, & præruptis cincta montibus, paradiſum omni deliciarum genere (qualem impius Mahumetes ſuis ſectatoribus propoſuit) inſtruxit: in faucibus, per quas ſolas patebat aditus, arcem extruxit munitiſſimam, ne cui accedendi poteſtas eſſet, præterquàm conſciis. Affirmabat interim, claves ſe Mahumetici paradiſi habere, & cùm libitum eſſet, potione ſoporifera quibus vellet clàm oblata, dormientes in eum locum deferendos curabat. Experrecti, cùm omnibus deliciis affatim fruerentur, revera ſe in paradiſo eſſe credebant. At captata opportunitate, iterùm medicato poculo ſopitos, rurſus extra paradiſum efferebat. Cùm evigilaſſent, ſummo mœrore voluptates quas perceperant, ſecum repetebant, & earum deſiderio mortem exoptabant, vitam flocci pendebant, & ad omnia quæ tyranno placebant, patranda, paratiſſimos ſeſe offerebant, de paradiſi gaudiis, ſi principi obedirent, ſecuriſſimi. Cæterùm anno Domini 1262. Allau Rex Tartarorum Senem hunc in paradiſo triennali obſidione obſeſ-
D ſum, inopia alimentorum deditionem facere coegit, locum abolevit, aſſeclas omnes interemit. *Marcus Paulus Venetus lib.*1. *cap.*28. *Orient. hiſt.*

LEGES ASTUTE
SANCIENDO.

☞ *Ex Titulo Legiſlatorum huc quadam.*

Tiberius, contra Libonem per ſervorum quæſtiones ut inquireret, fraudem legi fecit, quòd illos emancipari, & deinde per tormenta inquiri juſſit. *Alex. lib.*3. *cap.*20.

INTERPRETANDO.

Cùm Daniam graviſſima fames invaſiſſet, rex Snio conviviorum uſum abrogavit, & ne qua ex fruge potio pararetur edixit. Tunc quidam publicam continentiæ legem ridiculi operis acumine eluſit, cereviſiam enim pitiſſando & liguriendo, non bibendo, deſiderium ebrietatis explevit. A rege autem non modò bibere, verùmetiam pitiſſare prohibitus, conſuetudini tamen imperare non potuit. Madefactis enim potione cruſtulis veſcebatur: non eſum, ſed potum cereviſiæ lege interdictum aſſerens. Tum Rex Deos obteſtans tale quid deinceps audentem ſe capitali ſupplicio affecturum mi- E natus eſt. Ille mortem temperantia leniorem ratus, cùm nullam ulteriùs excuſandæ cupiditatis defenſionem excogitare poſſet, palàm potioni indulſit. A rege vehementer objurgatus, non luxus, ſed pietatis cauſa à ſe factum reſpondit: ſcilicet ut regi, quem primum omnium fame periturum ex inſolito iſto pavore colligeret, pro more lautiſſimo epulo parentaret. Rex acumine dicti ictus, ne graviùs animos ſubditorum offenderet, edictum revocavit. *Saxo lib.*28.

Fridericus III. Imp. cùm in Vittebergenſi ducatu ex ſolemnibus Eccleſiarum conſecrationibus, ad quas tanquam ad prælium armati proficiſcebantur ruſtici, plurimas cædes oriri conſpiceret: edixit, ne quis arma in poſterum ſacra acceſſurus geſtaret. At Ruſtici rotulos horarios inuſitatæ magnitudinis, funibus non lineis exceptos, è collo demiſere: quibus gladiorum loco, orto tumultu utebantur. Plures itaque rotulis, quàm priùs enſibus, interficiebantur. *Ioannes Paulus in Iocoſeriis*.

Anus quum vehementi febri conflictaretur, hoc voto ſe Jovi obſtrinxit, ſi ejus ope ab hoc morbo liberaretur, ſe per F centum ſoles, id eſt, dies, tantùm puram aquam bibituram & abſtemiam victuram. Voti rea, ipſo die manu cribrum ſuſtulit, perque ejus foramina pluſquam centum Soles inſpexit, atque hoc commento Jovi ſe ſatisfeciſſe putavit. *Cog. lib. Narrat. ex* 2. *Græcor. Epigram.* εἰς μεθύσους.

SOBOLEM ASTUTE, LIBEROS ACQUIRERE,
cum aliàs, tum per ſuppoſitionem.

Liberi ſuppoſititii.

☞ *Conſule Tit. Liberorum acquirendorum cupiditas. Si Parentes, Aſtutia eſt ſupponentis, Stultitia ejus cui ignoranti ſupponitur: ſi ſpectes Filios, Fortuita eſt parentum acquiſitio.*

Thamar cum videret Selam jam adoleviſſe, neque tamen Judam ſocerum (cujus duos filios Erem & Onanim maritos habuerat) Selam filium ſibi jungere, qui fratribus defunctis ſemen excitaret, quòd vereretur, ne illi morarentur: habitu meretricio in via, qua itur Thamnam, ſedens, Judæ prætereunti ſeſe proſtituit, & arrhabonis loco ab eo accepit anulum, vittam & baculum, donec hircum ei domum mit- G teret. Tribus pòſt menſibus, cùm Judæ nunciaretur, Thamar eſſe prægnantem, Judas igni cremandam præcipiebat. Arrhabonem illa oſtendens, præſenti ſe periculo liberat & perfidiam Judæ coarguit, qui ſibi Selam ex pacto non copulaſſet. *Geneſ.*38.

Philænium, ſtultum amatorem perſuadens, ſex dierum interſtitio fœminam & maſculum peperit. De qua ſic *Nicharchus in* 1. *Græc. Epigr.* εἰς πόρνας:

Τῇ μὲν γαστρὶ λαβοῦσα φιλαίνιον, ἠλιοδώρῳ
  Θήλειαν τίκτει παῖδ' ἀπὸ ταυτομάτου.
Τοῦ δ' ἐπὶ θηλείῃ λυπουμένου, ἐξ διαλείπει
  Ἤματα, καὶ τίκτει ἄρσενα παῖδ' ἔρατο.
Οὕτω βέβαιος καταλύεται· εἰ γὰρ ἑκάστη
  Τέξεται ὡς αὐτή, τίς θεοῦ ἐστι λόγος.

Ferunt, uxorem Philippi Macedoniæ regis, Perſeum, qui à L. Paulo victus eſt, poſt partum ſuſtuliſſe à matre ſaltatrice quadam Argolica, Gnathenia nomine, & clam ſibi ſubjeciſſe. Hinc potiſſimùm videtur, metu Demetrium fratrem peremiſſe, ne legitimum habens filium domus, ſuam aperiret ignobilitatem. *Plut. in Æmilio*. H

Sic & Eutropia Syra, uxor Maximiliani Herculis Imp. cùm mariti animum cuperet ſibi retinere devinctũ, ac ipſum enixè optare prolem intelligeret, ſimulavit ſe gravidam: vel cùm revera gravida eſſet, ac filiam enixa, ſubjecit filium Mexentium, quo partus primus per ſe marito gratus, fieret ob prolem maſculam longè gratiſſimus. *Sex. Aurelius, & Cuſp.*

Henricus F. Friderici Barbaroſſæ, Rex Siciliæ inſtitutus fuit à Cœleſtino III. Pont. Ut hic hæreditario jure illud videretur obtinere, Conſtantiã F. Gulielmi II. regis (qui circa annum 1107. obiit abſq; hærede) monialẽ jam ſexagenariam, ei in uxorem dedit, medicorum conſilio, qui etiam vetulam parere poſſe aſſerebant. Intumuit paulò pòſt Conſtantiæ uterus: incertum quibus de cauſis. Creditum eſt à multis, prægnantem eſſe reginam: credidit etiam, cujus maximè intererat, Imperator. Ordinatum igitur eſt, ut in publico poneretur ad pariendum, aulæis ad pudorem circumpendentibus. Proviſum ferunt, ut in horam partus alienus ſupponeretur, quem enixa regina videretur. Tres uno tempore mulierculæ non longè à reginæ domo prægnantes, non longo intervallo

omnes